M-2-50 / 1,50

274.521
M588 ld
cop.2 1772

G-740

Ercole Riva

LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS

FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

Rare Book & Special
Collections Library

274.521
M5881d
cop. 3

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/decretaconditain00cath

DECRETA
CONDITA
IN CONGREGATIONIBUS VICARIORUM FORANEORUM
ANNIS
1742. 1745. 1748. 1756. 1761. 1766.

ITERUM PROMULGATA

In Congregatione habita

Sexto Kalend. Septemb. Anno MDCCLXXII.

CORAM EMINENTISS., AC REVERENDISS.

D. D. JOSEPHO
CARDINALI PUTEOBONELLO

S. MEDIOL. ECCLES. ARCHIEP.

MEDIOLANI.

Apud Jo: Bapt. de Sirturis Impreſs. Archiep.
CUM PRIVILEGIO.

274.521
M5881d
1772
cop. 3

CUm Vicariorum Foraneorum, ut ajunt, Congregationes eo ſpectent, ut Eccleſiæ diſciplina vel integra conſervetur, vel collapſa reſtituatur: ideo quoties illæ habentur, toties nonnulla decreta ad hunc finem pertinentia condi ſolent, ac promulgari: Id ex more hactenus a Nobis etiam retento, ne hodierna itidem die fieret,

ea impulit cogitatio ; quod in hac Eccleſia affatim extet Sacrarum Legum , quibus nihil adjungi queat , quod jure novum dici poſſit , quarumque obſervantia , ſi vigeat , aut revocetur , ipſius Eccleſiæ Statum mirum in modum effloreſcere neceſſe ſit . Biſcentum ferme annorum ſpatio , ex quo videlicet ad Superos evolavit Sanctiſſimus Antiſtes CAROLUS BORROMÆUS , quot habitæ fuerunt hujuſmodi Congregationes ? Quot in ſingulis edita decreta , ex quibus quamplurima , ſi attente inſpiciantur , eodem tandem recidunt , eaque paſſim occurrunt , diverſis recocta temporibus , immo interdum iiſdem verbis propoſita . Nec aliter ſane ſe res habere debuit , quippe cum in eadem ſemper vitia , eaſdemque corruptelas prona ſit humana conditio ,

atque

THE RARE BOOK & MANUSCRIPT LIBRARY UIUC

atque idcirco iiſdem malis eadem ſint remedia adhibenda, quæ alias uſu ſalutaria comperta fuerint. Hac de cauſa opportunum fore duximus in hoc Conventu, Loco ſingularium decretorum, exhibere Vobis Chariſſimis in Chriſto Filiis, collata in unum Codicem illa omnia, quæ in ſex noviſſimis Congregationibus prodierunt; ſemel quidem, ſed uberius, ac de rebus gravioribus juſſu Clariſſimi Anteceſſoris Noſtri Cardinalis CAROLI CAJETANI STAMPA; quinquies vero Nobis Eccleſiæ hujuſce Regimen obtinentibus. Ea vero ita digerenda curavimus in certa Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſumma Capita, ut cuilibet in promptu ſit, uno velut intuitu proſpicere quid in ſingulis capitibus non ſemel, conſtanterque præſcriptum fuerit, quidque

præſtare debeant in ſortem Domini vocati homines , ut ſui Ordinis dignitatem tueantur . Id unum ſupereſt , quod enixe cupimus , & hortamur , ut quæ , Nos hoc Libello accurate complexi ſumus ex Vos in Vobis metipſis vita , & moribus diligenter exprimatis . Valete .

CAPUT I.

De Eccleſiis, & Sacra Supellectile.

1742.

MIrum eſt quantum mundities, externa Eccleſiarum, Sacræ Supellectilis, & Vaſorum Sacrorum, ad pietatem moveat, conciliet Populorum animos, & invitet ad majora ſubinde beneficia in Eccleſiam conferenda. Quare mandamus Parochis, aliiſque Sacerdotibus, ut nitori Eccleſiarum, rerumque omnium ad Altaris ornatum ſpectantium quam diligentiſſime ſtudeant, graviter animadverſuri in eos, qui in hac re ſocordes, & negligentes fuerint deprehenſi. Hujus decreti executio maxime a Præfectis, Viſitatoribus, & Vicariis Foraneis occaſione viſitationum eſt

promovenda, quos etiam monemus, ut cum hoc graviſſimum Viſitationis munus accurate ad præſcriptum Inſtitutionum per ſe ipſos implendum ſit, cum Petras Sacratas, ſeu Aras Lapideas viſitent, inſpiciant, & recognoſcant, an ſcilicet præfinitam menſuram attingant, an Loculus Reliquiarum integer ſit, atque intactus, an a Prælatis charactere Epiſcopali fuerint inunctæ, & conſecratæ, tandem an habeant cætera Requiſita, quæ in Inſtructionibus Sancti Caroli juſſu editis fuſius præſcribuntur; neque placitis hac in re moralis ſcientiæ peritorum, ſed S. R. Congregationis Decretis Summorum Pontificum oraculo comprobatis eſt adhærendum.

1766.

Cum Leges cuſtodiri nequeant niſi iis, quos illæ obſtringunt, plane innoteſcant, mandamus propterea omnibus

nibus, & ſingulis Vicariis, & Parochis ut Decreta hæc Noſtra ſanctiſſime ſancita hæc comparent, penes ſe retineant, lectitent, totiſque animi viribus obſervent. Ne quis vero Eccleſiaſticus eorum ignorantiam excuſare valeat, Præfecti omnes in Civitate, & Vicarii Foranei in Diœceſi, Portæ, vel Plebis Clero ad conventum quamprimum coacto curent Decreta ipſa per Cancellarium clara, & intelligibili voce evulganda. Aureum quoque Lib. *de Inſtruct. Fabr. & Supellect. Eccl. ex Decr. Conc. Prov. III.* editum, & juſſu Noſtro anni 1747. ad commodiorem uſum denuo impreſſum, ab omnibus, qui alicui Eccleſiæ præficiuntur, comparandum, legendumve edicimus. Cum enim quæcumque ad Eccleſiarum, Capellarum, Altarium, ædificationem, & ornatum ad Sacrorum indumentorum, veſtiumque apparatum, ad omnem itidem Sacrorum vaſuum ſupellectilem,

alia-

aliaque ejus generis pertinent opportune in hoc Libro tradita ſint, & præſcripta, eo uberior, Deo favente, fructus exiſtet, quo ſæpius certo lectionis ſtudio iis notiora fient, a quibus illa ſciri, & animo comprehendi, reque ipſa præſtari diligentiſſime oportet.

CAPUT II.

De Cæmeteriis.

1748.

RESTITUATUR quoad fieri poteſt antiquus mos ſepeliendi cadavera in Cæmeteriis; ita enim & laudabili Eccleſiæ conſuetudini, & aeris ſalubritati, & Eccleſiarum nitori optime conſultum erit.

CAPUT III.

De Feſtis.

1748.

ECcleſiarum omnium ſive Parochialium, ſive ſimplicium, nec non locorum Feſtivitates iis diebus omnino celebrentur, quibus in Calendario, vel Martyrologio adnotatæ leguntur, declarantes nemini licere, approbatione, & conſenſu Noſtro minime accedente eaſdem in Diem Dominicum proprio arbitratu transferre, quacumque conſuetudine, quæ potius abuſus appellandus eſt, penitus abrogata. Porro ad enunciatas Feſtivitates, cum Sacerdotum numerum evocandum eſſe decernimus quem ad confluentium Populorum devotioni ſatisfaciendum, eorumque confeſſiones excipiendas Vicarius Foraneus ſufficere judicaverit. Et quoniam hujus Decreti executio Nobis vehementer cor-

di

di eſt, idcirco poſthac promulgationem Indulgentiarum pro hujuſmodi Feſtis in alium diem ſine Noſtra approbatione translatis, nullatenus permittemus.

1761.

Ut feſtorum religio ſancte, incorrupteque ſervetur, edictum Noſtrum ſub die XXIV. Jul. Anni MDCCXLIV. hac de re editum, innovamus, & ut frequens abuſus, quem adhuc vigentem dolemus, omnino extirpetur ſub pœnis in memorato Edicto inflictis, invocato etiam, quatenus opus fuerit auxilio brachii ſæcularis, peculiariter prohibemus, ne Muliones, ſeu Agaſones, Aurigarii, cæterique generatim Vectores, a media nocte dies feſtos, quibus facultas vacandi ab operibus ſervilibus facta non eſt (1) præcedente ad mediam noctem ſubſequentem onerata

1) Videantur Lit. Noſt. Paſt. 2. Jan. 1755.

rata jumenta, vel plauſtra agant, nec merces, ſeu onera quæcumque tranſportent.

CAPUT IV.

De cultu Sacrarum Reliquiarum.

1742.

PArochi, aliique Eccleſiarum Præfecti pro ea, qua pollent pietate, & ſingulari ſtudio, Dei cultum, ac erga Sanctos venerationem promovendi in id ſedulo incumbant ut Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium Sancta Corpora, quæ viva fuerunt Chriſti Membra, & Templum Spiritus Sancti a Fidelibus rite colantur, per quæ multa beneficia a Deo hominibus conferuntur. Meminerint igitur in conſtitutionibus hujus Noſtræ Mediolanenſis Eccleſiæ inter cætera decerni, ut Sacræ Reliquiæ exponantur in Altari, indeque recondantur per Parochum,

vel per alium Sacerdotem ſuperpelliceo, & ſtola indutum, adhibito decenti luminum quantitate, & thurificatione, itidemque expreſſe vetari, ne umquam per Laicos tangantur.

CAPUT V.

De Beneficiis.

1742.

PRæfecti in Urbe, & Vicarii Foranei in Diœceſi, ubi certiores fiant de vacatione cujuſcumque Beneficii etiam Juriſpatronatus Eccleſiaſtici, ſeu Laici, ſtatim ad Cancellarium Noſtrum Archiepiſcopalem plenam relationem tranſmittant, in quo recto ordine deſcripta ſint nomen, & cognomen ultimi, & immediati Poſſeſſoris ejuſdem Beneficii, Annus, Menſis, & dies, quo illud vacare contigerit; Numerus item Animarum tam a Communione, quam aliarum, ſi Beneficium Parochiale, ſive

Cu-

Curatum ſit, Redditus denique omnes certi, & incerti, additis etiam oneribus, quatenus iis Beneficium gravetur, methodo alias typis impreſſa ad unguem ſervata, qua in re ſedulam eorum operam deſideramus.

Proviſi de Beneficiis Auctoritate Apoſtolica per Literas in forma gratioſa expeditas, quamprimum earumdem Literarum exemplar authenticum ad Cancellarium Noſtrum Archiepiſcopalem tranſmittant, ſecus pœna arbitraria mulctabuntur.

Iis, qui ex Defuncti Clerici Ædibus ſupellectilem, remve ullam, ſeu Scripta ad Eccleſiam, cui ille Rector præerat, pertinentia ante aſportant, aut evehunt, quam ab illo, cui id curæ ab Epiſcopo commiſſum eſt, in indicem relata ſint illius mortui bona mobilia, Libri, & Scripta, cæteraque ejus generis quæ in hæreditatem caderent, excommunicationis pœna in Concilio

Pro-

Provinciali Tertio proponitur. Hujuſmodi Sanctione Beneficiorum Juribus, Monumentiſve ſatis ſuperque conſultum arbitrabamur. Verum, cum experientia Nos doceat aliquando contra eveniſſe, propterea firmo interim, ac in ſuo robore manente memorati Concilii Provincialis Decreto, mandamus Præfectis in Civitate, & Vicariis Foraneis, in Diœceſi, ut cum primum Clerici Beneficium obtinentis ſeu gravem morbum, ſeu inſtantem mortem intellexerint, ſtatim ad illius ſe domicilium conferant, quæque inibi cujuſvis generis ſcripta, inſtrumenta, documenta ad Beneficium illud quovis modo ſpectantia per ſolertem indaginem nacti fuerint, ea in primis omnia ſummario indice deſcribi, tum a reliquis ſcripturis ſejungi, ac tuto demum loco aſſervari ſatagant, ad juris etiam remedia confugiendo, quatenus id pro qualitate perſonarum, & Beneficiorum expedire judicaverint. 1748.

1748.

Quoniam animadvertimus Eccleſiaſticarum, ac præcipue Parochialium Ædium reſtaurationem alicubi negligi, ex quo earumdem ruina, nec non lites, contentiones, aliaque graviſſima detrimenta oriuntur, idcirco mandamus omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, ut præfatas Ædes, quatenus opus ſit, omni cunctatione abjecta, inſtaurandas curent, nullatenus diem ex die prolatando. Qui vero huic Noſtræ Sanctioni parere neglexerit, pœnas, ac mulctas arbitrio Noſtro infligendas ſubibit. Ut autem hujuſmodi conſtitutio promptius executioni mandetur, decernimus, ac præcipimus, ut Parochialium Ædium reſtaurationis pretium a Peritis, quum Beneficium vacare contigerit, ſtatutum in manibus Præfecti in Civitate, & Vicarii Foranei in Diœceſi ab iis, ad quos ſpectat præſenti pecunia nume-

retur, illudque idem Præfectus, aut Vicarius aſſervabit, quoad ipſi certo conſtiterit præfatas Ædes juxta eorumdem Peritorum judicium fuiſſe inſtauratas.

1756.

Non ſine gravi Animi Noſtri mœrore accepimus, in nonnullis quarumdam Plebium Archiviis deeſſe, ac deſiderari jura, documenta, tabulas publicas ad Beneficia, & Eccleſias, dictarum Plebium ſpectantes. Idcirco aliquando contingere, ſi quod Sacerdotium vacaverit, ut quod, & quænam ſint jura, redditus, & proventus Sacerdotii, atque æſtimatio, deſcriptio, & certi fines prædiorum penitus ignorentur; itemque lateat, num ruſtica ſupellex (vulgo *Scorta*) ad Defuncti hæredes, an ad Succeſſorem pertineat. Tam pernicioſo Eccleſiarum, & Beneficiorum damno occurrere prorſus volen-

lentes ad normam Conc. Prov. I. *Tit. quæ pertin. ad bon. Eccl. conſerv.* præcipimus, ut omnes, & ſinguli, qui Beneficia Eccleſiaſtica, quæcumque ea ſint vel cum cura, vel ſine cura nunc obtinent, ab hujus Decreti editione intra ſex Menſium ſpatium, omnium, & ſingulorum bonorum mobilium, immobilium, jurium, ſive reddituum ad ipſos quocumque jure pertinentium rationem diligentiſſime conquirant, ſingillatim deſcribant, eorumque omnium Inventarium ad Archivium Plebanum in Diœceſi, & ad Cancellariam Noſtram in Civitate tranſmittant, ſimile exemplum apud ſe retinentes. Si quis autem intra præfatum tempus hoc præſtare neglexerit, mandamus, ut Præfecti in Civitate, & Vicarii Foranei in Diœceſi, Cancellarii, vel publici Notarii adhibita opera, id omne conficiant expenſis Beneficiati.

Vacantibus Parochialibus, aut aliis quibuſcumque Beneficiis, ſolertiſſime curent Vicarii Foranei, omnes conſequi ſcripturas ad Beneficium ſpectantes, atque Reddituum ejuſdem ſtatum exacte deſcribi, cuncta illius bona, ſeu prædia, an hæc aucta, an immutata, eorumdem quantitatem, Menſuram, confinia, an cum juribus aquarum, domus tum ruſticas, tum ad Titularium commodum enucleate exponendo, quibus, & quot egeant reparationibus, legitima beneficio forma caventes, tutumque, ac integrum in Beneficio Succeſſorum jus ſervantes, impleta prorſus regula a Nobis præſcripta in Decreto duodecimo Congregat. Vic. For. habita anno 1748. Mandamus inſuper ut tam Præfecti in Civitate, quam Vicarii Foranei in Diœceſi Parochis, & quibuſcumque aliis Beneficii poſſeſſionem adipiſcentibus bonorum omnium per publicas Tabulas conſignationem

fa-

faciant deſcriptis adamuſſim vitibus, arboribus, aliiſque bonorum, ac Ædium ſtatum reſpicientibus, quarum exemplar juxta memoratum Concil. Prov. I. intra ſex Menſium ſpatium a die poſſeſſionis adeptæ tradant Cancellariæ Noſtræ in Civitate, & Archivio Plebano in Diœceſi, ut in Codicem ad hunc effectum bene compactum uniuſcujuſque Beneficii documenta, redditus, ac proventus enucleate referantur, atque ſerventur.

Eorum quoque erit muneris ad Cancellariam Noſtram ſtatim tranſmittere vacationum relationem, exprimendo nomen, & cognomen Titularium Defunctorum, eorum ætatem, diem, menſem, & annum obitus, Titulum Beneficii, notulamque diſtinctam reddituum, quod ſancitum eſt in obitu Titularium, idem quoque præſtetur a Vicariis Foraneis in Diœceſi, nec non ab Urbis Parochis in obitu

Clericorum; Certiores item fieri ab iis volumus, quotieſcumque horum aliqui vel in Diœceſi, vel in Urbe Clericalem habitum ſponte deponant.

Si qui præterea Titulares, ſi qui Conductores, Coloni, Inquilini Beneficiorum bona, ſarta, tecta non ſervaverint, Vicarii Foranei Nos, vel Vicarium Noſtrum Generalem, aut Viſitatorem Regionarium monitos faciant, ut efficacioribus juris remediis Beneficiorum, & Eccleſiarum incolumitati conſultum fiat.

1761.

Quæ in Congregatione Vic. For. Anni MDCCXLVIII. Decret. XII. jam a Nobis conſtituta ſunt, confirmata, & commendata, Nos hic iterum innovamus.

Nomine pretii in Parochialium Ædium reſtaurationem a Peritis ſtatuti, cum Beneficium vacare contigerit, nume-

merata tantum pecunia recipiatur a Præfectis in Civitate, & a Vicariis Foraneis in Diœceſi.

Inter hæredes Parochi Defuncti, & Succeſſorem in Paræcia amicæ compoſitiones, ſeu verius iniquæ colluſiones, quæ in detrimentum Patrimonii Jeſu Chriſti cedunt, ne fiant: Factæ caſſæ ſint, irritæque.

Quæ in Ædibus Eccleſiaſticis reſtauranda, & reparanda erunt, collatis ab iis, qui tenentur impenſis, re quidem ipſa reſtaurentur, & reparentur, ac in id vigilantiſſime incumbant firmati Noſtra Auctoritate, Præfecti, ac Vicarii Foranei.

Si quos Noſtras has Conſtitutiones negligere, aut ſpernere compererint, Nos illico moneant; Noſtrum erit per opportuna juris remedia ad hæc implenda contumaces compellere.

Cum maxime interſit, documenta omnia ad Eccleſiarum, & Sacerdo-

tiorum jura dignoſcenda, & tuenda ſervari, ac cuſtodiri, Conſtitutiones (1) hac de re editas mandamus obſervari.

Qui Eccleſiaſtica Beneficia obtinent, diligens, & exactum Inventarium omnium jurium, & bonorum, quæ ad ipſa pertinent, & juxta normam a Nobis in Congregatione Vic. For. Anno MDCCLVI. Decret. IV. præſcriptam, confectum tranſmittant omnino intra tempora ſtatuta, vel ad Archivium Plebanum in Diœceſi, vel ad Cancellariam Noſtram in Civitate.

Meminerint interpoſiti Sacramenti, quo in actu collationis Beneficii ad hoc ipſum ſe obſtrinxerunt.

Qui hæc adhuc neglexerit, pœnæ ſex Nummorum aureorum jam inflictæ (2) erit obnoxius.

Eo

(1) Synod. 33. Decret. 21., Synod. 35. Decret. 38. Decret. 26. Congreg. Vic. For. 1742. Decret. 4. Anni 1756.
(2) Synod. 35. Decret. 38.

Eo potiſſimum, quo Sacerdotia vacant, tempore, fraudium, & ſubreptionum periculo ſunt expoſita. Diligentiores itaque curas, quas Decretum V. in eadem Congregatione Vic. For. Anno MDCCLVI. complexi ſumus, impendant omnino Præfecti, & Vicarii Foranei.

1766.

Quot, quantaque Beneficiorum Eccleſiaſticorum detrimenta, & lites perſæpe inextricabiles ex ſcripturarum ammiſſione, earumque opportune conficiendarum incuria contingant, infelici nimium experientia docemur. Quare in Congregatione Vic. For. habita Anno MDCCLVI. inter cætera, quæ præcipua videbantur, ſancivimus, ut qui Eccleſiaſtica Beneficia obtinerent, diligens, & exactum Inventarium omnium jurium, & bonorum ad ipſa pertinentium intra ſex Menſium ſpatium

tium ad Archivum Plebanum in Diœceſi, & ad Cancellariam Noſtram in Civitate tranſmitterent. Cum vero hujus Decreti executionem ſaltem, quæ rei gravitati correſpondeat, adhuc ſollicite deſideremus, icciroo matura præhabita conſultatione, idoneas Vicariis Foraneis Inſtructiones ſeorſim tradendas duximus, quibus nedum facilior enunciatæ executionis cumulate obtinendæ ratio, ſed curæ etiam, & ſollicitudinis Noſtræ, in re maxima teſtimonium abunde contineretur. Quo vero ad vacantia pertinet Sacerdotia, fructus a vacationis tempore ſeu perceptos, ſeu percipiendos Œconomus a Nobis tunc temporis deputatus ne relaxet, niſi antea numerata pecunia ad ſolvendas expenſas pro authentico, eoque ad Normam Tabularum Novi Cenſus exarato bonorum Beneficii ſtatu, quem, ſtatim ac Sacerdotium aliquod vacaverit, exactiſſime conficiendum

&

& in Archivo Plebano reponendum toties ſtatuimus, atque in præſens etiam ſub gravi in reos animadverſione diſtricte omnino præcipimus.

CAPUT VI.

De Titulis Sacerdotalibus.

1742.

A Vicariis Foraneis exquiſitam diligentiam in omnibus, quæ ipſis incumbunt, requirimus, & præcipue in viſitatione bonorum, quæ in Patrimonium, vel in Titulum Vitalitium, Noſtro accedente conſenſu, Clericis quandoque aſſignantur, ad hoc ut ad Sacros Ordines, neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ ita poſtulante, valeant promoveri. Ne igitur in re tam gravi muneri ſuo deſint, iiſdem præcipimus, ut tam a Peritis, quam a Teſtibus juramentum exigant juxta formulam a Nobis præſcriptam, cujus exem-

exemplar ſingulis Vicariis ab eorum Viſitatore juſſu Noſtro tradetur, antequam ſuper annuo redditu eorumdem Bonorum quidquam, vel deponant, vel interrogentur. Ipſos quoque Peritos ac Teſtes ſerio monere oportebit de gravitate criminis, quo ſe obſtringerent, ſi & falſum deponere, & ſacra atteſtatione firmare auderent. Volumus inſuper ut iidem Vicarii in voto ab ipſis concipiendo, & deputationis decreto ſubſcribendo jure jurando affirment, ſe quam maximam diligentiam in veritate annui redditus dictorum bonorum, eorumque libertate exquirenda adhibuiſſe, rerum omnium reſpectu penitus abſciſſo. Ipſis quoque Vicariis præcipimus, ut in eodem voto clare exprimant ſtatum Familiæ illius, qui Patrimonium conſtituit, nempe quot, & quæ Bona ipſi conſtituenti ſuperſint, & ubi Pater ſit, quot filios habeat, & quibus ipſi ſubſidiis vivant.

Vi-

Vicarii, qui huic Decreto non paruerint, ſuſpenſione ab officio, aliiſque gravioribus pœnis mulctabuntur.

1748.

Quamvis in Conſtitutionibus hujus Noſtræ Mediolanenſis Eccleſiæ ſæpius cautum fuerit, ne Clerici ad Sacros Ordines promoveantur, niſi clare conſtet titulum ad eorumdem congruam ſuſtentationem ſufficere, attamen cum temporis progreſſu aliqui irrepſerint abuſus, idcirco Nos pro Paſtoralis Officii Noſtri munere diſtricte injungimus, ac præcipimus, ut poſthac omnino executioni mandetur Decretum hac de re in Congregatione Vicariorum Foraneorum habita Anno MDCCXXII. die IV. Maji promulgatum; pro cujus promptiori adimplemento Literæ Encyclicæ, prout & formula juramenti una cum pluribus Conſtitutionibus Apoſtolicis, aliiſque Inſtru-

ſtructionibus in Appendice ad Acta hujus Congregationis Typis Archiepiſcopalibus impreſſæ quam primum in lucem emittentur.

1756.

Etſi in omnibus, quæ Vicariis Foraneis demandata ſunt, exquiſita requiratur ab ipſis diligentia, ſpeciali tamen eos uti volumus in viſitatione bonorum, quæ in Patrimonii, vel Vitalitium Titulum, Noſtro accedente conſenſu, Clericis quandoque aſſignantur ad hoc ut ad Sacros Ordines neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ ita poſtulante, valeant promoveri; Ne igitur in re tam gravi, ac tanti momenti ſuo muneri deſint, XVII. Decretum anno MDCCXLII. evulgatum in Congregatione Vicariorum Foraneorum renovamus, ac confirmamus de verbo ad verbum nihilo penitus omiſſo, ita ut quælibet ibi expreſſa, pro inſertis

hic

hic habeantur, eique firmitatis, ac inviolabilis obſervantiæ robur noviter adjicimus, iiſdem propoſitis pœnis.

1761.

Ne qua fraus, vel incuria in re graviſſima admittatur, alias (1) cavimus, ut ad normam Decreti XVII. in Congregat. Vic. For. An. MDCCXLII. evulgati, viſitatio fieret, & æſtimatio bonorum, quæ Clerici Sacros Ordines ſuſcepturi Patrimonii, vel Tituli Vitalitii nomine ſibi dotem conſtituunt. Leges, & formulam ad ejuſdem Decreti præſcriptum obſervandas inſtauramus. Vic. For. peculiariter inculcamus ſub pœnis alias propoſitis.

Ut ſtatum, & numerum familiæ illius, qui patrimonium conſtituit, dilucide referant, & quot, & quæ bona ipſi conſtituenti ſuperſint, & ubi

Pater

(1) Decr. 8. Congreg. Vic. For. An. 1756.

Pater ſit, quot filios, & filias habeat, & quibus ſubſidiis vivant.

Ut bona ſtabilia, quæ in Patrimonium cedunt, non ſolum vocabulis, & nominibus eorum, a quibus noviſſime poſſidentur, & antiquis, recentibuſque, & certis ſi qui ſunt, finibus deſcribantur, ſed indicentur etiam numero, dimenſione, & valore Scutatorum, prout in Tabulis Novi Cenſus recenſentur.

CAPUT VII.

De Legatis.

1742.

Vicarii Foranei ad Nos, aut ad Vicarium Noſtrum Generalem, vel ad Viſitatorem Regionarium notulam Legatorum ſuæ Plebis, quorum adimplementum vel omnino, vel aliqua ex parte negligitur, una cum exemplari omnium documentorum ad eadem

eadem Legata ſpectantium, quamprimum tranſmittant, cauſam quoque exprimendo, ob quam contigit hujuſmodi Legata non adimpleri; huic enim malo opportunum remedium afferre volumus.

1748.

Parochi eam rationem ineant ut in Libro, quem Ephemeridem dicunt, ad hæc quotannis parando, jugiterque in Sacriſtia cuſtodiendo quælibet onera Miſſarum, & Annualium funebrium, ſeu Anniverſariorum tam in Parochialibus Eccleſiis, quam in Oratoriis adimplenda, ſua cuique correſpondente parcella luculenter deſcribantur, advigilentque, ut Capellani, aliique Sacerdotes manu propria, & adjecto nomine, & cognomine eidem ſubſcribant, ac ſe tali die vel Miſſæ Sacrum feciſſe, vel Officiis etiam ut vocant adventitiis interfuiſſe teſtentur, ſyngra-

pharum abuſu quoad Miſſarum celebrationem probandam prorſus ſublato. Pro ipſis vero Animarum Rectoribus diſtincta extet pagella, in qua ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis de præcepto fateantur ſe celebraſſe, & applicaſſe pro Populo.

1761.

Cum Miſſarum onera reducuntur ob decrementum reddituum, qui fuerant pro onerum implemento aſſignati, Vicariis Foraneis in Diœceſi præcipimus, ut cum primum, aut Plebem ſibi commiſſam viſitaverint, aut Sacerdotalem aliquem Conventum coegerint, Literas hujuſmodi reductionum ſibi exhiberi jubeant, ac diligenter inſpiciant, an poſt factam reductionem aucti ſint redditus, ita ut quoque augeri debeat Miſſarum numerus juxta clauſulam, quæ in unaquaque reductione adjuncta legitur, idque ſingillatim

atque

atque diſtincte Nobis, vel Vicario Noſtro Generali nuntient.

CAPUT VIII.

De Rebus incertis.

1742.

IN Synodo Diœceſana XI. cautum eſt, ut res caſu inventæ, aut furto, *alio*ve dolo ſublatæ, aut alio modo male partæ, dummodo præmiſſis debitis diligentiis, incertum ſit, cui reſtitui debeant, in Capſam Incertorum projiciantur; & ad hujus Decreti faciliorem executionem ibidem decernitur, ut in Baſilica Noſtra Metropolitana, & in unaquaque Eccleſia Diœceſis Plebana certo loco conſpicuo, & diſtincto Capſa perpetuo conſtituatur, quæ Literis grandiuſculis a fronte inſcribatur = CAPSA INCERTORUM = Ea Capſa clavibus duabus inter ſe diverſo fabrili opere diſtinctis clauda-

tur, quarum una apud Cancellarium Archiepiſcopalem, altera apud Depoſitarium auctoritate Noſtra conſtitutum aſſervetur. Certis præterea ſignis eadem Capſa ita ab aliis diſtinguatur, ut ab omnibus etiam rudibus facile dignoſci poſſit; collocetur autem ita commodo loco, ut eo tam Mares, quam feminæ facile accedant. Quæ vero in Capſam conjici non poſſunt, apud Depoſitarium cuſtodiantur. Quoniam vero hujus Decreti executionem ab aliquibus de propria ſalute parum ſollicitis per ſummam audaciam negligi intelleximus, ideo in præſenti Congregatione idem Decretum renovamus, & confirmamus diſtricte Parochis, aliiſque Animarum curam gerentibus præcipiendo, ut quotannis Dominica in Capite Quadrageſimæ recurrente juxta Monitum Calendarii Noſtri illud frequenti Populo inter Miſſarum Solemnia promulgent, ſervata

for-

formula in Libello, cui tit. = *Raccolta di alcuni Decreti ec.* = præſcripta, jubemuſque ad res incertas colligendas, cuſtodiendaſque in unaquaque Eccleſia Plebana Capſam modo quo ſupra, collocari, duplici clave eam muniri, ex his alteram penes Cancellarium Noſtrum Archiepiſcopalem, alteram penes Depoſitarium Auctoritate Noſtra deſignatum aſſervari, nihil demum de hujuſmodi rebus incertis Nobis inconſultis, atque inſciis, decerni. Atque ut omnis doli ſuſpicio abſit rei incertæ in Capſam deferendæ, curam in ſe non aſſumat Confeſſarius, ſed eam Pœnitentibus ipſis injungat, niſi morbo, aliove juſto impedimento prohibeantur, tunc enim Pœnitentis vices fideliter gerere integrum erit Confeſſario.

* * *
* *
*

CAPUT IX.

De vita, & honeſtate Clericorum.

1742.

AD vitandum ne Clerici, qui ſunt in hominum ſæcularium famulatu indignis occuparentur miniſteriis, cautum eſt in Concil. Provinc. VII. = *De Miſſis* = ne quis ſacris initiatus cujuſquam famulatui, vel ad inſtruendos pueros, vel ad aliud quodvis munus obeundum ſe ſe addiceret, niſi permiſſu Epiſcopi, qui eam maxime cautionem adhibeat, ut in illorum famulatu tantum ſint, quos credi veroſimiliter poſſit ejus opera ad rem ullam ſordidam, atque indignam non eſſe uſuros. Igitur Præfecti in Civitate, & Vicarii Foranei in Diœceſi moneant, an aliqui in eorum Porta, vel Plebe reperiantur, qui ſine Noſtra facultate hominibus ſæcularibus inſerviant, & qui-

quibus detineantur occupationibus, ut pro modo culpæ in eos animadvertere poſſimus.

Quemadmodum nulli Habitum Clericalem aſſumere licet, niſi de licentia, & approbatione Noſtra, ita nemini fas eſt, etiamſi prima Tonſura ſit inſignitus, eum denuo aſſumere, quem ſemel depoſuit, aut reliquit. Immo declaramus hunc prorſus privatum eſſe poteſtate deferendi Habitum Clericalem, ſuſpenſumque eſſe ab aliis Ordinibus impoſterum ſuſcipiendis, ac demum pœna Carceris arbitrio Noſtro punitum iri ſine ſpe fore, ut denuo in Ordinem Clericalem admittatur, niſi evidenter ex probatione morum eum ſerio reſipuiſſe conſtiterit. Volumus autem, ut ſi quis poſthac Habitum Clericalem dimiſerit, ejus nomen & cognomen ſtatim Præfectis in Civitate, & Vicariis Foraneis in Diœceſi per Parochos ſignificetur, ab ipſis

autem Præfectis, & Vicariis ad Nos, vel ad Vicarium Noſtrum Generalem erit deferendum.

Audivimus nonnullos adultæ ætatis adoleſcentes, quorum domicilium in Diœceſi ſitum eſt, ad hanc Urbem commigraſſe, in eaque ad quatuor, vel ſex menſes moram traxiſſe, ut ſic proprios Parochos evitantes, quibus illorum mores noti erant, atque comperti, ab Urbanis Parochis, qui ne de facie quidem illos noverant, teſtimonium de vita, & moribus reportarent. Idipſum eveniſſe in hac Urbe intelleximus, nonnulli enim de una ad aliam Parochiam doloſe commigrarunt, quo facilius optatas atteſtationes extorquerent. Nos igitur quibus vehementer cordi eſt fraudem hanc improbe nimis excogitatam detegere, eique totis viribus occurrere; Mandamus Viſitatoribus, & Præfectis, ut, antequam animum ſuum ſuper conceſſione Habitus

Cle-

Clericalis a Nobis obtinenda aperiant, certiores fiant a triennio ſaltem de vita, & moribus illorum, qui Clericali militiæ adſcribi petunt, diligenter examinantes Parochorum atteſtationes, nec non quo tempore, & per quos afferantur. Hoc etiam ſervandum eſſe decernimus cum promovendis ſive ad Clericalem Tonſuram, ſive ad Ordines, diligenter ſcilicet inquirendo ſuper eorumdem moribus ab Habitu ad Tonſuram, & ab ultimo Ordine ſuſcepto ad alium, ad quem petunt aſcendere. Et quoniam nonnulli ex Clericis non promiſſionis Filii, ſed perditionis, eo impudentiæ, & effrenatæ nimium temeritatis devenerunt, ut auſi ſint adulterinas atteſtationes ad Cancellariam Noſtram afferre, idcirco ſi quis impoſterum execrandum hujuſmodi facinus admiſerit, ſi Clericus ſit Minoribus Ordinibus tantum initiatus, privatione Habitus, & pœna

Car-

Carceris mulctabitur, ſi vero in aliquo ex Sacris Ordinibus erit conſtitutus, præter Carceris pœnam ſciat ſe ad ulteriores Ordines numquam promotum iri; adduci enim neutiquam poſſumus, ut credamus eos in ſortem Domini eſſe vocatos, qui a via veritatis, quæ Chriſtus eſt, abhorrentes per iniquitatis viam inter ejus Miniſtros connumerari præſumunt.

Confirmamus, & innovamus Decretum, ſeu Edictum juſſu fel. record. Cardin. Benedicti Odeſcalchi die 23. Januarii An. 1719. editum, & promulgatum contra quoſcumque Sacerdotes, aut Clericos ducentes Choreas, vel perſonatos incedentes in hæc verba Italico idiomate concepta, nimirum = *Ordiniamo, e comandiamo, che neſſuno Eccleſiaſtico di qualſivoglia ſtato, grado, e condizione ardiſca in tempo di Carnevale, o in altro tempo di giorno, o di notte di maſcherarſi, o ballare ſotto*

to pena per riſpetto a Sacerdoti della ſoſpenſione a Divinis *da incorrerſi* ipſo facto *da medeſimi ogni volta, che ſi maſchereranno, o balleranno, dalla quale Cenſura non poſſano eſſere da altri, che da Noi aſſoluti, rivocando, ed annullando per riguardo a queſto caſo ogni facoltà da Noi, o da Noſtri Anteceſſori da queſto giorno addietro conceduta a qualunque Confeſſore, anche Regolare, o Superiore di Religione, e per riſpetto agli altri Chierici ſotto pena della privazione dell' Abito Chiericale, o altre pene a Noi arbitrarie, incaricando perciò ſtrettiſſimamente la coſcienza de' Prefetti di Porta in Città, e de' Vicarj Foranei fuori a invigilare per riſapere i traſgreſſori di queſto Noſtro Editto, affine di portarne immediatamente a Noi la notizia.*

Omnia, & ſingula Decreta tam in Conciliis Provincialibus, & Diœceſanis contenta, quam in Congregationibus Vicariorum Foraneorum, vel

alia

alia quavis occaſione juſſu Noſtro, vel Prædeceſſorum Noſtrorum edita, & promulgata, nec non pœnas in iiſdem propoſitas præſenti Noſtro Decreto confirmamus, & renovamus, eamdemque vim habere volumus, perinde ac ſi in hac Congregatione de verbo ad verbum fuiſſent evulgata, adeo ut ſiqua ex eis vel languidius in uſum inducta, vel frequentius violata ſint, mandamus ut impoſterum plene obſerventur. Quod ſi ſuper intelligentia, & vero ſenſu alicujus Decreti juſſu Noſtro ut ſupra, vel Prædeceſſorum Noſtrorum evulgati dubium ſuboriri contingat, declarationem, interpretationem, ſeu explicationem Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Archiepiſcopis perpetuo reſervamus, ſalva ſemper Sedis Apoſtolicæ Auctoritate.

* * *

1745.

Non ſine maximo dolore intelleximus quoſdam Eccleſiaſticos, & fortaſſe etiam Parochos nimium frequentes eſſe in Nundinis, earumque occaſione contra Clericalis Diſciplinæ Leges ad Cauponam divertere, Vicarii Foranei ſchedulam in hac re delinquentium ad Nos quamprimum tranſmittant, ut tam gravi ſcandalo pro Noſtra virili parte occurrere poſſimus.

Sacerdotes, & Clerici, qui peculiari quadam ratione Miniſterio Dei, & Eccleſiæ dedicati ſunt, tales ſe exhibere debent, ut cum Propheta dicere poſſint = *Dominus pars hæreditatis meæ* = Meminerint igitur ſe conſtitutos eſſe pro hominibus in his, quæ ſunt ad Deum, idcirco ſecum animo reputent verba illa Pauli Apoſtoli ad *Timoth.* & eorum quemlibet conteſtantis = *Tu vigila, in omnibus labora,*

opus

opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Curis omnibus ſæcularibus, ac terrenis ſollicitudinibus abjectis, quæ ſurſum ſunt, perfecte quærant, ac ſapiant; nec ipſi tantum fidelem Deo cultum præſtent, ſed alios etiam ſuo exemplo, ac vitæ ſanctitate Deum rite colere, atque in ejus præceptis ambulare doceant. Colore dumtaxat nigro in veſtibus utantur, iiſque non quovis artificio elaboratis, aut exornatis, non elegantibus, aut nimium exquiſitis, ſed nec etiam ſordidis, neglectiſve. Comam, ac præſertim frontis capillitium ne ſtudioſe nutriant, ac præterea Tonſuram, ſeu coronam Clericalem in Capite pro uniuſcujuſque Ordinis ratione latam, ac patentem gerant. Ab immoderatis ludis abhorreant ipſi; & hujuſmodi ludis deditos ne ſpectent. Caveant, ne cum Laicis ac præcipue cum Mulieribus, familiaria nimis, aut ridicula interponant colloquia, dicteriave,

riave, aut mordaces ſales admiſceant. Comeſſationes, in quibus largiore cibo ac potu Convivæ utentes jumentis inſipientibus comparantur, omnino fugiant. Tabernas autem ne adeant niſi ſola itineris neceſſarii cauſa. A ſæcularibus negotiis, ab omni mercaturæ genere, & a prædiorum etiam Eccleſiaſticorum conductione abſtineant, neque cum contrahentibus quavis ratione ſocietatem ullo pacto ineant. Id demum ſedulo caveant, ne quod Eccleſiaſtici ſtatus perfectio ab ipſis requirit, id moribus parum religioſis, parumque honeſtis negent, & offenſionis, ac ſcandali ſpeciem Laicis præbeant, cum alioquin, juxta monitum Pauli Apoſtoli, exemplum eſſe debeant Fidelium in verbo, in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate. Quicumque autem contra hæc Decreta quicquam ullo modo commiſerit, admiſerit, deliqueritve, is præter pœ-

nas

nas Canonum jure, & Conciliorum Conſtitutionibus præſcriptas, aliis etiam gravioribus arbitratu Noſtro plectetur.

Confirmamus, & innovamus Decretum, ſeu Edictum juſſu fel. record. Eminentiſs. D. Cardinalis Benedicti Odeſcalchi Prædeceſſoris Noſtri die 23. Januarii anni 1719. editum, & evulgatum contra quoſcumque Sacerdotes, aut Clericos ducentes choreas, vel perſonatos incedentes, eidemque vim omnem, ac firmitatis robur adjicimus.(1)

Auctoritate Noſtra Ordinaria confirmamus, & quatenus opus ſit, renovamus omnia, & ſingula Decreta, tam in Synodis Provincialibus, & Diœceſanis, quam in Congregationibus Vicariorum Foraneorum, vel alia quavis occaſione juſſu Noſtro, vel Prædeceſſorum Noſtrorum edita, & promulgata, nec non pœnas contra inobedien-

(1) Idipſum Edictum fol. 41.

dientes in iiſdem Decretis propoſitas: Et ut Decretorum omnium hujus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ ſic ut ſupra a Nobis confirmatorum prompta, ac plena executio facilius obtineatur, uniuſcujuſque Viſitatoris in Diœceſi, Præfecti in Civitate, nec non ſingulorum Vicariorum Foraneorum ſtudium, operam, diligentiam, ſollicitudinem deſideramus, atque requirimus. Omnium autem, quæ in ipſis Decretis tradita ſunt interpretationem, & explicationem Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Archiepiſcopis reſervamus, ſalvo ſemper Sanctæ Sedis Apoſtolicæ omnium Eccleſiarum Matris, & Magiſtræ judicio, & auctoritate.

1748.

Cum primum ad hujus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ gubernacula fuimus evocati, in remotiorum Diœceſis Noſtræ Regionum viſitatione ob-

eunda vehementer adeo elaboravimus, eaſque curas, ac ſollicitudines ſuſcepimus, ut haud ſemel valetudo noſtra in diſcrimen fuerit adducta, nihil quidem Nobis proponentes, niſi ut Dei gloriam in primis promoveremus, & Gregis Noſtri Jeſu Chriſti Sanguine redempti incolumitati, ac ſaluti paterno officio conſuleremus. Id unum ſpectantes nihil Nos abſterruit, quin, Divina gratia opitulante, Paſtoris Euangelici munere, quantum per vires licuit, fungeremur, cui id antiquiſſimum eſt, ut proprias oves cognoſcat, eaſque nominatim vocet. Quas autem Sanctiones ad optimam Cleri, & Populi Chriſtianam Diſciplinam reſtituendam, & ad Eccleſiarum cultum tuendum, augendumque, opportuniores judicavimus eas conſtituere minime prætermiſimus. Ut igitur ex tot laborum, moleſtiarum, ac ſumptuum incommodis optatus fructus percipiatur, & ne operis a Nobis incho-

cho-

choacti jacta fundamenta brevi corruant, diſtricte præcipimus omnibus, & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, ut omnes cogitationes, conſilia, ſtudia, conatuſque ſuos ad exequenda Decreta per Nos occaſione Viſitationum ſancita, omnino dirigant, & Vicarii Foranei Nos certiores faciant, ſi quis hac in re negligens fuerit deprehenſus.

Cum Animarum Paſtoribus id maxime propoſitum eſſe debeat, ut Fideles ſibi commiſſos a vitiis deterreant, & ad virtutes paterna charitate accendant, tum præſertim eorum ſollicitudinem, ac vigilantiam in diligenter, accurateque Clericorum moribus inſpiciendis præcipue vacationum tempore ennixe requirimus, ne illis id objici unquam poſſit, quod apud Iſaiam Deus Æmulator, & Dominus ultionum dixit = *Speculatores cæci* = Quos vero noverint id vitæ genus ſequi, quod Chriſti Miniſtrum dedeceat, ideoque,

U. OF ILL. LIB.

ut ait Apoſtolus, in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, & caſtitate exemplum boni operis cæteris Fidelibus minime afferre, ſpe opportunas atteſtationes reportandi illis prorſus adempta, rerumque omnium, ac perſonarum reſpectu penitus abſciſſo, eorum inſuper Nomina Nobis, vel Viſitatoribus Noſtris per Literas ſignificent; parati enim ſumus a Sanctuario eos repellere, qui ea, qua vocati fuerunt, vocatione non ambulant. Advigilent inſuper an Sacerdotes intra eorum Paræciæ fines degentes Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium, in quo illa Deo Patri placens Hoſtia Jeſus Chriſtus in odorem ſuavitatis offertur, debita pietate, ac religione celebrent, an antequam ad Altare accedant, ſe colligant, & orantes mentem in tanti Sacrificii cogitatione defigant, & an, peracta Miſſa, pro ſummi Beneficii munere Deo gratias agant. Quos autem

in hoc Angelico, ac plane Divino Miniſterio negligentes compererint, ubi ſerio moniti non reſipuerint, Nobis deplorandam hujuſmodi incuriam exponant, ut contra eos graviſſimis pœnis pro modo culpæ etiam ſuſpenſionis agatur; Quod ſi hac in re cum Parochi, tum præſertim Vicarii Foranei, quorum conſcientiam vehementer oneramus, ſuo deerunt officio, præterquamquod tamquam ſervi negligentes a Deo juſto Judice judicabuntur, Nobis etiam graviſſimam rationem reddent.

In Conſtitutionibus hujus Noſtræ Mediolanenſis Eccleſiæ ſæpius cavetur; ut Sacerdotes, aliique Clerici Sacris initiati, ſingulis ſaltem octo diebus peccata ſua approbato Sacerdoti confiteantur. Porro atteſtationes, in quibus hujuſmodi frequentia clare expreſſa non erit, nec in Cancellaria Noſtra Archiepiſcopali, nec a Præfectis in

Civitate, nec a Vicariis Foraneis in Diœceſi, ullatenus admittendas eſſe ſtatuimus, ac declaramus.

In Conciliis Noſtris Provincialibus, & Synodis Diœceſanis, nec non Congregationibus Vicariorum Foraneorum Clericalis Ordinis Viri ſecum domi feminas ſibi ipſis non conſanguineas, nec affines intra ſecundum gradum aut cibi parandi cauſa, aut alia domeſtica officia præſtandi, aliave cauſæ ſpecie, etiam ſi non pernoctent ſine ſcripta noſtra facultate ullo modo habere, vel recipere prohibentur. Cum vero Nobis conſtet plures hac in re delinquere, & tunc ſolum de opportuna facultate reportanda ſollicitos eſſe, quum Viſitationis Archiepiſcopalis dies inſtant, ideo hujuſmodi Decretum innovamus, eique vim omnem, quatenus opus ſit, & robur adjicimus, & ut in executionis uſum inducatur, cura ſit Vicariorum

Fo-

Foraneorum, quorum conſcientiam ſtricte oneramus, qui contumaces ad Nos deferant, ut in eos, prout juris eſt, animadvertamus.

1756.

Paſtoralis Noſtræ per Diœceſim occaſione Viſitationis non ſemel Nobis manifeſto innotuit in iis Populum magis bene eſſe moratum, in quibus Sacerdotes laudabili vitæ integritate Religionem comprobant, quam profitentur; Nos igitur, quibus vehementer cordi eſt, ne ullo umquam tempore bene vivendi ſtudium, morumque in Populo langueſcat diſciplina, Sacerdotes omnes toto corde obſecramus, ut bonorum operum exemplo quantum poſſunt, cæteris præluceant; ipſi enim ſunt Mundi lumina, in quæ tamquam in ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ut ex eis ſumant, quod imitentur, & diſcant, a quibus ſe avertant; Cu-

ris ergo omnibus ſæcularibus, ac terrenis ſollicitudinibus abjectis, quas muneris ſui partes eſſe intelligunt, eas omni ſtudio, ac diligentia implere conentur. Ad Sacrarum Literarum lectionem diligenter omnes incumbant, ut quod ipſi Deo obſequium debent rite præſtare, & alios in viam Domini dirigendo valeant edocere. Et ſicuti non ſine animi Noſtri dolore audivimus non paucos ex Eccleſiaſticis viris, cum extra Civitatem divagantur veſtibus uti diverſi coloris, ut potius Laici videantur, quam Clerici. Mandamus idcirco ſub pœnis a Nobis, & a Prædeceſſoribus Noſtris jam conſtitutis, ut in omni veſtitu color tantum niger adhibeatur, iſque talis ſit, ut nec artificioſæ elegantiæ ornamenta, nec abjecta negligentia, & affectatæ ſordes appareant.

Renovamus quoque, ac confirmamus Edictum juſſu felic. recordat.

Emi-

Eminentiſſimi D. Cardinalis Benedicti Odeſcalchi Prædeceſſoris Noſtri die 23. Januarii anno 1719. editum; ac promulgatum contra quoſcumque Sacerdotes, aut Clericos ducentes choreas, vel perſonatos incedentes, integro ejuſdem hic adjecto exemplari. (1)

His addimus, quod ſi quis Subdiaconatus, vel Diaconatus Ordine jam inſignitus contra ſuperius Decretum deliquerit, ſuſpenſionis a Divinis latæ in Edicto a Nobis evulgato die 10. Julii 1744. pœnam ſubeat ipſo facto, ſalvis inſuper manentibus quibuſcumque aliis pœnis a jure communi indictis, Nobis ulterius reſervantes juxta violationis circumſtantias delinquentes plectere.

* * *

(1) Edictum ut ſupra fol. 42.

1766.

Jeſu Chriſti Sanguinem, *& viſcera redolens Cura Paſtoralis* clamabat olim S. Carolus, *omnes ſummæ ſollicitudinis partes ab iis ſummopere depoſcit*, *quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*. Quod Nos cum aliquando menteque animoque ſerio perpendamus, plane equidem & ipſi, uti ille Sanctiſſimus Antiſtes, hæreditatem Noſtram in Cruce ejuſdem Chriſti Domini, & in laboribus plurimis agnoſcentes ſtudio perpetuo, vigiliis maximis, perennique diligentia in muneris hujus perfunctione elaborandum eſſe æque intelligimus. Quare Nos eo Paſtoralis officii ſpiritu excitati, etſi in univerſæ Diœceſis Noſtræ Viſitatione, & repetitis Vicariorum Foraneorum Conventibus, quæcumque ad Divini cultus incrementum, ad conformandam Clericorum diſciplinam, tum

ad

ad Populorum vitæ, morumque integritatem ſpectare viderentur, ea omnia, divina gratia opitulante, accurate ſancivimus. Attamen, cum in eorum aliquibus exequendis, ſeu longe languidiori ſtudio actum, ſeu fortaſſe crebrius peccatum ſit; ea icc irco, quo ejuſdem Omnipotentis Dei cultus, & Sacerdotalis honos integre pro viribus ſuſtentetur, occaſione hujus noviſſimæ Congregationis duximus innovanda. Si quæ ſunt addita, vel ab ipſis Decretis pendent, vel ad perfectam eorum cognitionem, executionemque pertinent aſſequendam. Has vero conſultationes Noſtras, pioſque conatus dirigat Miſericordia Domini, ut optatos Paſtoralis ſollicitudinis fructus ad totius Gregis Noſtri adjumentum, & utilitatem percipere valeamus.

Primum itaque Decreta omnia, & ſingula, cum a Prædeceſſoribus Noſtris, tum a Nobis quovis tempore,

&

& occaſione ſancita, ut validius perpetuò vigeant cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, pœnis, limitationibus confirmamus, & renovamus; Præfectorum in Civitate, Viſitatorum, & Vicariorum in Diœceſi, quo promptæ, & omnimodæ executioni demandentur, ſtudium, operam, & ſollicitudinem exquirentes.

Nonnullorum Sacerdotum, ac Clericorum levitas, & cæcitas miſeranda hac temporum viciſſitudine adeo inolevit, ut qui *ſe ipſos poſſidere in ſanctificatione, & honore, ſeque in omnibus præbere exemplum bonorum operum in integritate, & gravitate* deberent; Ridiculam cum veſtium, tum ornamentorum, & elegantiæ formam induentes, in culpa ſint, cur eorum miniſterium vituperetur. Quid enim, qui foris ſunt, immo & qui adverſus ſtant, riſu, jociſque ſe contineant, cum Dei, & Eccleſiæ Adminiſtrum elaboratis ſtudio-

dioſiſſime veſtibus utentem, comam, ſummo adhibito artificio nutrientem, unguentorum fragrantiam undique redolentem, collare, in quo poſitum, miniſterii ſignum, ſerica tænia, vel, ſi linea ſit, novo cæruleo colore infecta, & oris albis diſtincta obducentem, ac fortaſſe demum familiaria cum Mulieribus interponentem colloquia, iiſdemque miſere famulantem adſpexerint? Porro inſanam hanc vanitatis, & pompæ licentiam, quam peculiari Noſtro Edicto, cum primum ad hanc Archiepiſcopalem Sedem evecti ſumus, tum editis ſubinde Decretis, jamdiu damnavimus, in præſens etiam nihil non agimus, ut, Deo adjuvante, a Sanctuario repellamus; cui quidem Noſtræ, eique non inani ſtudii Paſtoralis contentioni adjuvandæ Ven. Parochorum operam impenſius poſtulantes iiſdem mandamus, ut pro eo, quo pollent, Animarum ſalutis

zelo,

zelo, quos Sacerdotes, Clericoſque id vitæ genus, aliudve, quod Chriſti Miniſtrum dedeceat, ſequi animadverterint, rerum omnium, ac Perſonarum, reſpectu penitus abſciſſo, illico ad Nos deferant. Parati enim ſumus, quæ in Domino remedia efficaciora videantur prompte, ſolerterque in re tanti momenti adhibere.

CAPUT X.

De turpi quæſtu vitando.

1742.

A*Varitia*, clamabat olim Sanctus Carolus in Concione ſecunda ad Clerum habita in Synodo XI., & Nos quoque in hac Congregatione merito ac jure exclamare cogimur, = *Avaritia Miſſas, Choros, Prædicationes, Funeralia maculat, cum propter cupiditatem, & avaritiam fiunt*. Caveant igitur Sacerdotes, ne ſe hac labe coinquinent, quam

quam malorum omnium radicem eſſe teſtatur Apoſtolus : Ne ſe pluribus Miſſarum obligationibus onerent, quam ut valeant perſolvere : Ne Chorum lucri tantum gratia frequentent : Execrabilem abuſum eleemoſynas, ſeu ſtipendia pro Miſſis celebrandis colligendi & per alium huic oneri ſatisfaciendi, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta, a recolendæ memoriæ Alexandro Septimo, & noviſſime a Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto Papa Quartodecimo damnatum quam maxime fugiant, deteſtentur, exhorreſcant: Ne tandem in Nepotum arcam congerant, quæ Eccleſiæ, & Pauperibus debentur. Illud autem Animarum curam exercentes, quam diligentiſſime animadvertant, ne in adminiſtratione Sacramentorum, & in Funeribus ducendis ſordidiſſimi potius Mercatores, quam Altaris, & Eccleſiæ Miniſtri videantur. A lacrymis

enim

enim temperare minime potuimus; quum ad Nos perlatum eſt alios in Funeribus ducendis turpes pactiones inire, alios loco Sacerdotum Clericos evocare, ut inde largius emolumentum conſequantur contra Decretum Synodi Triceſimæ quartæ, alios demum in diſpenſatione Myſteriorum Dei plus exigere, quam jus, vel laudabilis conſuetudo ferat, aut patiatur, præcipue cum Matrimoniis aſſiſtunt, ſi contingat, ut Sponſa ad aliam Parœciam ſit traducenda, audentes tunc plus depoſcere, quam ſi intra fines propriæ Parœciæ nuberet. Quicumque huic Decreto non paruerit, vel alias quavis occaſione, vel cauſa aliquid admiſerit, quod avaritiæ labem ſapere dignoſcatur, præter mulctam quatuor aureorum quoties deliquerit incurrendam, graviores etiam pœnas arbitrio Noſtro infligendas ſubibit.

CA-

CAPUT XI.

De negotiatione Clericis interdicta.

1756.

Singulis Perſonis Eccleſiaſtico Ordini adſcriptis illicitam negotiationem, etiam ſub alieni nominis velamine, iterato interdicimus, ac omnino prohibemus, quibuslibet ſublatis coloribus, ac vanis inanium rationum effugiis clam eam exercendi, vel propriæ ſublevandæ egeſtatis, vel affinium, vel conſanguineorum inopiæ conſulendi, vel rem domeſticam adjuvandi, aut hujuſmodi. Eos enim, qui Deo militant, omnino dedecet, ac incongruum eſt ſe negotiis ſæcularibus implicare, ut docet Apoſtolus 2. *ad Timoth. cap.* 3. Ad exitioſam igitur hujuſmodi peſtem ab Eccleſiaſtico Cætu avertendam, omnes, & ſingulas tum Sacrorum Cano-

num, tum Pontificum, tum Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones, illarumque quamlibet contra Eccleſiaſticas Perſonas quomodolibet negotiantes huc uſque editas renovamus, ac confirmamus, expreſſe iterum mandantes, quod ab omni mercaturæ genere, Vini ſcilicet, Serici, Tritici, Animalium, & hujuſmodi omnino abſtineant, tum a Prædiorum etiam Eccleſiaſticorum conductione, neque ſe in hujuſmodi contractibus proxenetas, aut interpretes præſtent, vel cum contrahentibus quavis ratione ſocietatem ullo pacto ineant, pœnaſque jam dudum propoſitas in promulgatis Noſtris Decretis, & graviores etiam arbitrio Noſtro infligendas denunciamus.

1761.

Negotiationem a Sac. Can., & a Provin., & Synod. Noſtris Sanctionibus interdictam etiam ſub alieni nominis

minis velamine, & ſub quovis prætextu, ac quæſito colore, ſicuti in Congregatione Vicariorum Foraneorum Anno MDCCLVI. Decr. III. damnavimus, ita ſub iiſdem pœnis a jure, & inſtitutis Noſtris inflictis, aliiſque gravioribus arbitrio Noſtro pro modo culpæ, ſcandali, ac contumaciæ iterum damnamus.

Conſtitutionem (1) Sanctiſſimi D. N. Clementis XIII. *ſuper obſervantia Canonicarum Sanctionum adverſus Clericos Negotiatores, & ſæcularibus Negotiis ſe immiſcentes editarum*, quam Literis Noſtris Paſtoralibus diei 1. Dec. MDCCLIX. promulgavimus, ſub pœnis in dicta Conſtitutione contentis mandamus religioſiſſime obſervari.

(1) Die 17. Sept. 1759., quæ incipit: *Cum primum*.

CAPUT XII.

De Eccleſiaſticis Conventibus.

1742.

UBi primùm Divinæ Miſericordiæ munere ad Archiepiſcopalem hanc Sedem fuimus evocati, illud enixe optavimus, ac ſtuduimus, ut hujus Civitatis, & Diœceſis Noſtræ Clerus probitate morum, pietate, ſtudio, ac omnibus Clericalis diſciplinæ virtutibus effulgendo, quam exiſtimationem apud exteras quoque Gentes ſibi conciliavit, illam cumulate, & laudabiliter tueretur. Quod ut aſſequeremur, Deo Nobis opitulante, a quo bona cuncta procedunt, & juſta deſideria complentur, quæcumque de vita, & honeſtate Clericorum ſancte, ſapienterque Provincialia, & Synodalia decrevere Concilia in unum collegimus, Edictoque Noſtro diei XV. Maji

Anni

Anni MDCCXXXIX. in hac Urbe, & Diœceſi promulgavimus. Quoniam vero ad Clericalis vitæ perfectionem Eccleſiaſticorum Conventus vehementer conducere intelligimus; *Sunt enim ii*, ut Sancti Caroli verbis utamur, *tamquam Scholæ, atque exercitationes non ſolum ſtudiorum, ſed etiam officiorum Eccleſiaſticorum, in quibus cum Animarum Curatores, tum cæteri Clericalis Ordinis Homines verſantur; nullaque illorum inſtituta ratio eſt, quæ in omnes partes utilis non ſit, non ſalutaris, & ob eam rem neceſſaria*; ideo volumus, & edicimus, ut hujuſmodi Conventus, ſeu Congregationes frequenter ad præſcriptum tam in Civitate, quam in Diœceſi habeantur, renovantes, & confirmantes omnia, & ſingula Decreta ad hanc rem ſpectantia juſſu Prædeceſſorum Noſtrorum edita, & evulgata, eaque præcipue, in quibus ſancitur, ut ſtatus Cleri totius Plebis,

& Acta Congregationis diligenter collecta, & fideliter, ac diſtincte conſcripta ad Vicarium Noſtrum Generalem, & ad Viſitatorem Regionarium dirigantur; & ut iiſdem Vicario, ac Viſitatori dies futuri Conventus duabus ſaltem ante Hebdomadis per literas ſignificetur, ut, ſi opportunum videbitur, poſſint intereſſe; mandantes inſuper, ut in præfatis Conventibus ea omnia ſerventur, quæ Actorum *part.* 4. in Inſtructionibus Congregationum fuſius præſcribuntur. Porro atteſtationes, quæ a ſingulis Parochis, Sacerdotibus, & Clericis ad Congregationes afferentur, volumus penes Præfectos in Civitate, & Vicarios Foraneos in Diœceſi caute cuſtodiri, ad Nos deinde, vel ad Vicarium Noſtrum Generalem intra tempus a Nobis ſtatuendum tranſmittendas, quo diligentius Cleri in omni Eccleſiaſtica diſciplina progreſſus Nobis conſtare poſſit.

1745.

1745.

Jure, ac merito de iis Vicariis Foraneis conquerimur, qui, neglecta executione primi Decreti conditi, & promulgati in Congregatione Vicariorum Foraneorum habita coram clar. mem. Eminentiſſimo D. Card. Stampa Prædeceſſore Noſtro, Acta Conventuum, ſeu Congregationum Diœceſanarum ad Viſitatores Regionarios minime tranſmiſerunt. Mandamus igitur, & diſtricte præcipimus omnibus, & ſingulis Vicariis Foraneis ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis, ut ſingula in enuntiato Decreto ſancita quam diligentiſſime adimpleant, & exequantur; quinimmo iiſdem injungimus, ut cum primum ad ſuas Plebes, ſeu Vicariatus redierint, Parochos, Sacerdotes, alioſque Eccleſiaſticæ militiæ adſcriptos intra fines eorum Plebis degentes ad Congregationem cogant, in

qua, cæteris ad præſcriptum peractis, & Decretis his Noſtris per Cancellarium evulgatis, ſtatum perſonalem omnium Parochorum, Sacerdotum, & Clericorum conficient, quem deinde ad ſuos Viſitatores perferendum curabunt. In hujuſmodi autem ſtatu deſcribendo ſervabunt formulam, ſeu Methodum alias ab hac Curia Archiepiſcopali ad eoſdem Vicarios tranſmiſſam.

1748.

Eccleſiaſticorum Conventus, ſeu Congregationes in Civitate, & Diœceſi frequenter omnino habeantur, renovantes, & confirmantes omnia, & ſingula Decreta ad hanc rem ſpectantia, juſſu Prædeceſſorum Noſtrorum edita, & promulgata. Qui autem legitimo detenti impedimento per Præfectum, aut Vicarium Foraneum prius approbando abſuerint, opportunas atteſta-

teſtationes ſtatim ad eumdem Præfectum, ſeu Vicarium Foraneum perferendas curent ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis.

1766.

Eccleſiaſticorum Conventus, ſeu Congregationes ab Apoſtolicis uſque temporibus divinitus inſtitutas, tot Provincialibus Eccleſiæ Mediolanenſis, & Diœceſanis Sanctionibus corroboratas, peculiaribus etiam ſubinde Archiepiſcoporum Decretis communitas alicubi vel longius protrahi, vel fortaſſe negligi, vel fere perperam exerceri, non ſine gravi animi Noſtri ſenſu animadvertimus. Quapropter deplorandæ huic intermiſſioni, ac negligentiæ, unde innumera pene damna univerſæ rei Eccleſiaſticæ, & diſciplinæ Populorum exiſtunt, occurrere volentes, & accuratam prædictarum Sanctionum obſervationem ad uſum reſtituere confir-

ſirmamus, & renovamus omnia, & ſingula Decreta ad hanc rem ſpectantia juſſu Noſtro, & Prædeceſſorum Noſtrorum edita, & promulgata, iiſque vim omnem, quatenus opus ſit, & robur adjicimus, & ut in executionis uſum inducantur, cura ſit Vicariorum Foraneorum, qui certe, tum cæteri Delinquentes gravem Nobis rationem reddent, & pœnas arbitrio Noſtro infligendas ſubibunt. Id vero in hujuſmodi Conventibus obſervandum mandamus, nulla cujuſcumque oppoſitæ conſuetudinis habita ratione, quod in actis hujus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ *part.* 4. de Inſtructione Congregationum præcipitur in hæc verba: *Afferant ſinguli Eccleſiaſtici Ordinis homines Confeſſionis ſuæ ab eo tempore, quo Conventus ultimo habitus eſt, teſtificationem Confeſſarii manu exaratam, aut certe ſubſcriptione ſignatam ad formulæ præſcriptum. Qui vero juſta cauſa impeditus*

a

a Conventu abſuerit, quocumque gradu præditus ſuæ tamen Confeſſionis teſtimonium mittat. Quod quidem providentiſſime conſtitutum per omnes Ven. Parochos fore omnino adimplendum, plurimum in eorum pietate, ac religione confiſi, minime dubitamus.

CAPUT XIII.

De ordine ſedendi, vel incedendi.

1742.

UT Ordo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſervetur, & tribuatur unicuique ſuum, mandamus, ut quotieſcumque lites, & controverſias ſuper præcedentia inter Eccleſiaſticos Viros eidem Eccleſiæ quovis nomine adſcriptos ſuboriri contingat, hæc regula a Nobis jam alias ſtatuta, & Inſtructionibus Congregationum Diœceſanarum admodum conformis omnino retineatur. Poſt Parochum primum locum Coadju-

tor

tor obtinebit ſive Titularis ſit, ſive amovibilis, dummodo a Nobis non ſolum ad Confeſſiones audiendas, verum etiam ad coadjuvandum in Cura Animarum fuerit approbatus. Coadjutori proximi erunt Capellani Titulares, ſi modo Sacerdotes ſint, & inter hos primum locum ſibi vindicabunt, qui Beneficii ratione Chori Officiis devincti ſunt, deinceps reliqui eodem ordine omnes, quo ad Beneficium pervenerunt. Poſt hos erunt Sacerdotes, qui Clericatum, aliudve ejuſmodi Beneficium obtinent; deinde Sacerdotes, quibus tituli vitalitii Beneficiorum manualium fuerunt aſſignati, ac tandem Capellani, qui inibi quovis titulo carent, eo ordine, quo in Sacerdotii, Diaconatus, Subdiaconatuſque gradu conſtituti ſunt. Eademque ratio ſervabitur inter Clericos inferiorum Ordinum, quorum ultimus locus erit. Hunc igitur Ordinem, ubi lites exciten-

tentur, ſervandum eſſe decernimus, nulla cujuſcumque oppoſitæ conſuetudinis habita ratione.

Quoniam Sacerdotes exteri, iique, qui Romano Ritui ſunt addicti, perſæpe invehunt cærimonias ab Eccleſia Noſtra Ambroſiana alienas, cujus antiquiſſimum Ritum tamquam amplam hæreditatem a Sanctiſſimo Parente Noſtro Ambroſio, & aliis deinceps Archiepiſcopis Nobis relictam, pro viribus perpetuo integram, atque incolumem religioſe conſervare, ac tueri ſtudebimus, ideo vetamus impoſterum hujuſmodi Sacerdotes ſive ad Funera, ſive ad Officia Mortuorum, ſive ad alias quaſcumque Functiones evocari, prout jam olim in Synodo XXXVI. fuit ſancitum. Quod ſi Locorum ſitus ejuſmodi ſit, ut Sacerdotes Noſtrates commode haberi non poſſint, & exteri evocandi ſint, nolumus id licere, niſi accedat Vicarii Foranei facultas, quam

non

non concedet, niſi de præfata neceſſitate ſibi plane conſtet. Hujuſmodi autem Sacerdotibus, neceſſitate ut ſupra poſtulante, accerſitis ultimum locum poſt Noſtrates aſſignamus.

CAPUT XIV.

De Capitulis.

1748.

ECcleſiarum Collegiatarum Capitulis, quæ ſtatutis carent, ne veluti Naves fluctuantes quovis vento circumferantur, præcipimus, ac injungimus, ut antiquas, ſiquas habent, Conſtitutiones, ſeu ſtatuta depromant, & ubi non adſint, ſex infra menſes poſt hujus Decreti promulgationem omnino conficiant, & utraque ſtatuta, antiqua ſcilicet, & nova ad Nos accurate examinanda, & quatenus opus ſit, corrigenda, ac tandem approbanda perferri curent.

CA-

CAPUT XV.

De Parochis.

1742.

IN Synodo XXXV. Parochis, & quibuſcumque Animarum Rectoribus mandatum fuit ſub pœna quatuor nummorum aureorum, ne a propriis Eccleſiis diſcedere audeant ſine facultate proprii Vicarii Foranei ſcripto exarata, quam tamen per triduum tantum iiſdem ſuffragari ſancitum eſt, ea lege, ut ubi ad Urbem advenerint, ſiſtant ſe protinus coram Noſtro Vicario Generali, vel Viſitatore Regionario cauſam ſui diſceſſus ſignificaturi, ut pro ratione negotiorum eadem facultas prorogetur. Quoniam vero hujus Decreti executionem a pleriſque negligi intelleximus, in præſenti Congregatione idem confirmamus, & renovamus, pœnamque quatuor aureorum ad

decem

decem extendimus, ulteriorem contumaciam acrius punituri. Confirmamus quoque, & renovamus Decretum Synodi XI., quo Parochi, aliique Animarum Curatores a propriis Eccleſiis diebus Feſtis quavis occaſione, vel cauſa abeſſe prohibentur, ne prætextu quidem ad Feſtorum Celebritates in finitimas Parœcias conveniendi, niſi alium Sacerdotem a Nobis jam approbatum delegerint, qui illorum abſentium partes in cura Animarum exercenda rite impleat, & ſuſtineat.

Non eſt ferenda eorum Parochorum incuria, qui ad accipienda Olea Sacra Clericos mittunt, & quod pejus eſt, interdum etiam Laicos. Hoc omnino fieri vetamus ſub pœna decem nummorum aureorum Locis Piis applicandorum, & volumus deputari ad hoc munus Sacerdotes, &, ubi fieri poſſit, Canonicos, ſeu ſimplices Capellanos, ne Parochi hinc arripiant

occa-

occaſionem deſerendi proprias Oves Hebdomada Sanctiori, qua maxime excitandi ſunt Fideles ad opera pietatis exercenda, & ſumenda Sacramenta.

Ad tollendas contentiones, quæ inter Parochos, eorumque Coadjutores perſæpe oriri ſolent, renovamus Decretum Synodi XXXII. in hæc verba: Teſtificationes omnes, quas interdum a Parochis fieri neceſſe eſt, Parochi ſubſcribant, non autem Coadjutores, niſi forte, ubi Parochum abeſſe contingat, ulteriorem dilationem res non permitteret. Cum autem a Coadjutoribus ſubſcribendum erit, ea formula adhibeatur: *Ego N. Coadjutor Curatus in Eccleſia Parochiali N.*, *abſente Ven. Parocho*. Porro atteſtationes contra hanc formam factæ tamquam non legitimæ rejicientur. Ipſos quoque Coadjutores, quemadmodum & Curatos amovibiles monemus iis non licere uti Caputio, quod proprium Parocho-

rum) Inſigne eſt, prout in Sinod. IV. & XI. clare ſancitur, ſed Veſte talari, & Superpelliceo contentos eſſe debere.

Diſtricte injungimus omnibus, & ſingulis Vicariis Foraneis, ut quæcumque Edicta, Decreta, Literas Paſtorales, aliaque ejuſmodi, quæ juſſu Noſtro illis reddentur, non ſolum ipſi in ſuis Eccleſiis promptiori ſollicitudine publicent, ſed etiam per ſuæ Plebis Parochos evulganda curent.

Parochi non modo exigant teſtimonium ſumptæ Paſchali tempore Sacræ Communionis ab iis, qui toto anno, ſeu ejuſdem majori, vel dimidia parte in ſua Paræcia moram traxerint, ſed etiam ab iis, qui ad exteras Provincias, & Nationes mercaturæ, artiumque cauſa proficiſcuntur; hi enim reverſi ſe eo tempore Sacram Communionem ſumpſiſſe teſtatum facere debent ſcripto Sacerdotis, a quo ſumpſerint, quod teſtimonii ſcriptum

manu,

manu, vel ſigillo Ordinarii, aut ejus, cui id curæ dederit, munitum ſit, alioquin, ut Eccleſiæ præcepto pareant, Confeſſi Sacram Euchariſtiam in propria Eccleſia Parochiali ſuſcipiant. Quod ſi facere renuerint, Eccleſiæ præcepto ſatisfeciſſe non cenſeantur, & denuntientur ad formam Concilii Provincialis VII.

Atteſtationes, quas ad probandum alterum ex Conjugibus e vivis exceſſiſſe ſuperſtes affert, ut ad alias nuptias tranſire poſſit, ne admittantur a Parochis, niſi iiſdem a Præfecto in Civitate, in Diœceſi vero a Vicario Foraneo ſubſcriptum ſit.

Quamquam in ſuperioribus Decretis multa complexi ſumus, quæ Parochi, & cæteri, qui Animarum curam ſuſtinent, pro officii ſui munere diligenter exequantur; iis enim Animæ, quas ſanguine in Ara Crucis profuſo Chriſtus Dominus redemit,

in eam ſollicitudinis curam traditæ ſunt, ut illas & recte cuſtodiant, & ſalutari pabulo ad æternitatem alant; tamen viſum eſt Nobis aliqua hoc loco colligere, atque adeo ſtatuere, in quibus illi maxime invigilare debent, quo diligentius Gregem ſibi commiſſum ad Cæleſtem Patriam dirigere ſtudeant. Quæ quidem varia cum ſint, in his tamen duobus potiſſimum verſantur, ſcilicet in verbi Dei prædicatione, & Sacramentorum adminiſtratione. At vero hæc cum ab iis præſtari minime poſſint, qui in ſuis Eccleſiis perſonaliter non reſident, videant quanta diligentia, quot, quibuſve propoſitis pœnis Sacri Tridentini Concilii Patres ad reſidendum omnes Animarum Curatores cogi, compellique voluerint, ſimulque ſecum ipſi recogitent parum eſſe perſonaliter reſidere, ut Canonum pœnæ evitentur, niſi etiam ipſimet munera ſibi,

ſuæ-

ſuæque fidei, & curæ concredita omni præſtent religioſo officio, ac caritate, ut divinam effugiant ultionem. Quare ut hac etiam in parte Parochorum conſcientiæ conſulamus, eoſque ad officii ſui partes implendas promptiores reddamus, facultates omnes quibuslibet Parochis tam Urbanis, quam Diœceſanis hactenus a Nobis, vel a Prædeceſſoribus Noſtris conceſſas adjungendi ſibi Coadjutorem in Cura Animarum revocamus, & nullas, atque irritas eſſe declaramus, perinde ac ſi nunquam fuiſſent obtentæ, ſeu impetratæ. Eas tamen confirmare, vel concedere non recuſabimus, quoties id evidens neceſſitas a Nobis dignoſcenda, & approbanda requirat. Quamquam vero Coadjutores habere, neceſſitate ita poſtulante, per Nos eis liceret, non continuo ſe reſidentiæ lege ſolutos, & a munere Parochiali per ſe ipſos obeundo immunes arbitren-

tur, ſed ipſi per ſe Populum ſibi in curam, cuſtodiamque traditum verbi Dei prædicatione paſcant, Parocho enim potiſſimum dicitur: = *Clama, ne ceſſes; quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia Populo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum*. Singulis ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis inter Miſſarum Solemnia Sacrum Euangelium Populo de ſuggeſtu, vel ex Altari in cornu Epiſtolæ capite aperto ſtantes explicent, atque eas quidem regulas, quas Sanctus Carolus hac de re præſcripſit, ut maxime poterunt, amplectantur. Feſtos dies, ac ſacra jejunia, quæ ex præcepto Eccleſiæ coluntur, denuntiare Populo non omittant. Sollicitі præterea ſint in Doctrinæ Chriſtianæ initiis per ſe ipſos tradendis, curamque omnem adhibeant, ne ulli ſint prorſus ex Grege ſibi credito, qui ad ejuſmodi Scholas ſingulis diebus Feſtis non conveniant, quæque fide-

libus

libus omnibus ſcitu neceſſaria ſunt, non perdiſcant. Aſſidui ſint in pœnitentium Confeſſionibus audiendis, ſeque ad cætera Sacramenta adminiſtranda paratos, ac promptos præbeant; & ut Populus majori reverentia, atque animi devotione ad ea accedat, illorum vim, & uſum pro ſuſcipientium captu explicare ſtudeant.

Nec his acquieſcant Parochi, ſed alia munia per ſe diligenter impleant. Ad ægrotos, licet non requiſiti, frequenter ſe conferant, quamvis omnia Sacramenta iiſdem miniſtraverint, Statum Animarum, ut jam decrevimus, a die Sancti Martini uſque ad initium Quadrageſimæ quotannis per ſe conficiant juxta methodum a Sancto Carolo Actor. *part.* 4. *tit. Inſtructiones variæ* traditam, ſub pœna quinquaginta nummorum aureorum. Particulas conſecratas octavo quoque die ad ſummum renovent, præſertim quinta quaque

feria, ſi commodum erit, in qua Chriſtus Dominus hoc tantum Sacramentum inſtituit: Hoſtias autem adhibeant recentes, & a viginti diebus ad ſummum confectas. Teſtificationes Baptiſmi, Matrimonii, Funeris, & Confirmationis ipſi ex Codicibus Parochialibus exſcribant, quum contigit, ut illæ, Noſtro, vel Vicarii Noſtri Generalis conſenſu, accedente, edendæ ſint; plerique enim id muneris rudibus Perſonis demandant, quæ tot errores immiſcent, ut ipſæ atteſtationes vitientur, vel ſaltem earum fides valde imminuatur. Præfatos Codices ne alio aſportari permittant, neve cuipiam inſpiciendos concedant, niſi ipſi præſentes fuerint, diligenterque animadverterint, nequa fraus, alteratio, ſeu caſſatio in ipſis committatur, eorumque foliis a ſumma parte numeros adſcribant. Inquirant de vita, & moribus ſuarum Ovium, ac præcipue Sacer-

cerdotum, & Clericorum, nec non illorum adoleſcentum, qui Clericali militiæ adſcribi cupiunt; quos autem minus honeſte, & laudabiliter ſe gerere noverint, iis atteſtationes libere ac ſincere denegent, & ad ſecus faciendum nec precibus, nec ſuaſionibus, nec minis, nec quovis prætextu, aut alio quæſito colore adduci unquam ſe ſinant. Frequenter pro Populo Miſſæ Sacrificium offerant, ut repetitis declarationibus S. R. Eccleſiæ Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum promptius obtemperando conſcientiæ ſuæ cautius proſpiciant. Singulis diebus Feſtis poſt Doctrinæ Chriſtianæ exercitium Veſperas canant; quod ſi nemo alius tunc adeſt, quo adjutore ad canendum utantur, id Veſperarum Officium non cantu, ſed voce alta, & clara ita recitent, ut ab iis, qui præſentes adſunt, commode audiri poſſint. Pauperum, & miſerabi-

rabilium Perſonarum indigentiis large, & prompte ſubveniant. Aquam benedictam ſingulis diebus Dominicis renovent, eaque Populum aſpergant. Cum dies inſtant, quibus ex Sanctæ Matris Eccleſiæ præcepto jejunandum eſt, præter cæteras jejunii leges, illam etiam, quam SS. D. N. Benedictus Papa XIV. hoc de genere ſanxit, Populo edicant, & enuntient. Quò puriori mente, ardentiorique animi voluntate ſibi, & Gregi attendentes in omnibus, ut eſt Apoſtoli præceptum, laborent, ac miniſterium ſuum impleant, in aliquem ſemotum locum, quantum iis per graves Parochialis muneris occupationes licebit, frequenter conveniant, ubi quibuſvis hujus ſæculi curis ſoluti cum omnis vitæ ſuæ peccata diligenti conſcientiæ diſcuſſione rite confiteantur, tum in ſalutaribus meditationibus, aliiſque ſpiritualibus exercitationibus accurate verſentur, duce ſibi aliquo

ea

ea in re pio, ac religioſo viro aſſumpto. Idipſum Perſonis Eccleſiaſticis intra fines ſuæ Parœciæ degentibus quam efficaciſſime ſuadeant, oſtendendo vitæ Sacerdotalis, ac Clericalis puritatem, ac ſanctimoniam a frequenti ſpiritualium exercitationum uſu maxime pendere. Non verbo tantum, ſed etiam exemplo, quibus præſunt, proficiant. Reliqua demum ſervent Parochi, quæ in Conſtitutionibus hujus Noſtræ Mediolanenſis Eccleſiæ ab ipſis ſervanda decernuntur.

1756.

Parochi, Animarumque Rectores pœna amiſſionis fructuum plectantur, ſi brevi etiam tempore a ſua Parochialis Eccleſiæ ſtatione abſint abſque peculiari Vicarii Foranei, cui ſubſunt, facultate ſcripto exarata, quam eiſdem dumtaxat ad triduum ſuffragari alias conſtitutum eſt; ſtatim ac vero ad Urbem

bem venerint, ſe protinus ſiſtant coram Noſtro Vicario Generali, vel Viſitatore Regionario, cauſam ſui diſceſſus aperientes, vel reſtrictæ facultatis prorogationem aſſequturi pro negotiorum ratione. Meminerint autem, & ſecum ſerio recogitent parum eſſe perſonaliter reſidere, niſi etiam ipſimet munera ſibi, ſuæque fidei concredita omni præſtent religioſo officio, ac charitate, ut Divinum effugiant judicium. Per ſe ipſos itaque, non per Coadjutores, aut Mercenarios Populum ſuæ curæ, cuſtodiæque commiſſum paſcere ne omittant, aut negligant; Per ſe onera Parochialia impleant, & niſi neceſſitas aliter poſtulet, numquam, vel raro admodum aliorum humeris ea ferenda imponant. Faciem ſuarum ovium ſingillatim agnoſcant, & invicem ab ipſis cognoſcantur parati etiam pro ipſis animas ponere juxta Summi Paſtoris noſtri exemplum. Sæpe lite-

rarum

rarum ſtudia excolant, ut ſemper paratiores fieri poſſint, ſive ad Chriſtianam Doctrinam, ſive ad Euangelica præcepta Populis clarius, ac fructuoſius explicanda: Eoſdem præterea hortamur, atque obſecramus, ut Chriſtifideles ſibi commiſſos, quos premit anxia ægritudo, poſtquam illis Sanctiſſimæ Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, atque Extremæ Unctionis Sacramenta impenderint, nec non Pontificiam Benedictionem impertiti fuerint, minime deſerant, ſed iis quam diligenter omni ope adſint, ut furentes undequaque teterrimos, ac callidiſſimos adverſarii impetus, qui Leonis inſtar rugientis eo præcipuo in articulo adſtat, ut devoret, ſalutaribus monitis, & ſpiritualibus auxiliis comprimant, atque repellant frequenti præſertim uſu Actuum Fidei, Spei, & Charitatis, quibus quaſi jaculis, & inimicus prorſus configitur, & anima ſuaviter in Deum

ele-

elevatur. Ut autem in tanto Animarum periculo ſpiritus promptus ſit ad hos Virtutum Theologalium Actus, utiliter eliciendos, iterum, iterumque Parochos, alioſque omnes Animarum Rectores in Domino obſecramus, ut Populum ſibi concreditum totis viribus erudiant, & inſtruant in exercitatione dictorum Actuum, adhibita potiſſimum ea formula, quam Nos maturo conſilio compoſitam, evulgandam duximus, & a Populo clara voce, devote, & ex corde recitandam ſingulis Dominicis, & Feſtis diebus tum immediate ante, vel poſt Miſſam Parochialem, tum a prandio in Scholis Doctrinæ Chriſtianæ. Atque ad hoc tam pium, & ſalutare exercitium excitentur etiam Chriſtifideles, commemoratis identidem Indulgentiarum Theſauris a SSmo D. D. Noſtro Benedicto XIV. recenter confirmatis, & auctis, quas Nos Civitati, & Diœceſi univer-

ſæ Literis Noſtris Paſtoralibus die octava Martii proxime evoluti denunciavimus; eaſque pro faciliori uſu hic in calce reimprimi mandavimus.

1761.

Leges de Parochorum reſidentia, & vigilantia ſanctiſſime, & providentiſſime conſtitutas volumus a Parochis ſervari ad unguem. Ultra diem extra Paræciæ fines eſſe numquam licebit nec Parocho rurali (1), nec urbano (2), niſi petita in Diœceſi a Vicario Foraneo, in Urbe a Præfecto Portæ, & obtenta diſcedendi facultate. Moræ extra Paræciam ultra triduum ducendæ poteſtas a Nobis, vel Vicario Noſtro Generali eſt impetranda. Contrafacientes pœnis toties ſtatutis (3), & ſucceſſive adauctis certiſſime emendabimus.

Ca-

(1) Syn. 11. & 33. Decr. 24., & Syn. 34. cap. 7. Decr. 5. Congr. Vicar. Foraneor. Anno 1742., & Decr. 2. Congreg. Anno 1756.
(2) Syn. 35. Decr. 35.
(3) In Syn. & Congreg. ubi ſup.

Caveant ſummopere Parochi, ne quæſtus, vel avaritiæ nota, immo ne ſola quidem ſuſpicione parum honorificam Parochiali cœtui, ac dignitati opinionem conflent, & invidiam; Facile enim viribus carerent verba, & exempla Sacri Adminiſtri, qui ſua potius videretur quærere, quam quæ Jeſu Chriſti.

Pro exequiis, & funeribus inſtaurandis non alia ſibi jura tribui velint, quam quæ Synodalibus hujuſce Noſtræ Diœceſis legibus ſunt permiſſa.

Pro literis, ſeu teſtimoniis Baptiſmatis, Confirmationis, Matrimonii, Mortis, ex libris Parochialibus deſumendis, ſubſcribendis, ac tradendis, aliiſque atteſtationibus, quas ſuſcepti Officii ratio poſtulat, Parochus ne aliquid omnino exigat, aut recipiat, etiam ſponte oblatum, quocumque titulo mercedis, vel muneris (1).

De-

(1) Syn. 33. Decr. 2. Syn. 35. Decr. 4.

Denunciationes Matrimoniis ineundis de jure præmittendas quocumque prætextu ne retardent, de iiſdem peractis teſtimonia ſcripta prompte, & gratis tradant (1).

Ingruente communi aliqua neceſſitate piis Populorum deſideriis ſe paratos præbeant, & obvios, utpote pro hominibus conſtituti in his, quæ ſunt ad Deum (2). Si publica ſupplicatio expoſcitur, eam juxta ritus ab Eccleſia Noſtra præſcriptos peragant, paterna prorſus caritate, quæ neſciat temporale lucrum.

Confidimus Parochos omnes libentiſſime hæc juſſa facturos, quibus & Dei cultus, & Sacerdotalis honos continetur. Si quis tamen detrectaverit, pœnas luet pecuniarias jam conſtitutas (3), aliaſque pro modo culpæ, & contumaciæ arbitrio Noſtro infligendas.

(1) Eadem Syn. 35. & Dec. 4.
(2) Ad Hebræos 5. (3) Syn. 35. Decr. 4.

1766.

Præterquamquod prætextum a propria Eccleſia diſcedendi celebrandarum alibi Feſtivitatum cauſa, tanto cum Animarum detrimento, non amplius impoſterum Ven. Parochis ſuffragari mox decrevimus; Abuſum etiam omnino eliminandum præcipimus quorumdam Parochorum, qui longiori, quam par ſit, temporis ſpatio, & quod intollerabilius videtur, abſque facultate contra id quod de Parochorum reſidentia, & vigilantia recens, & ſtricte in Congregatione Vicariorum Foraneorum Anno MDCCLXI. fuit demandatum, temere abeſſe audent. Caveant itaque hi Parochi, ſive rurales ſint, ſive urbani, ne in re, quæ non parvi momenti eſt, Sibi, Nobiſque culpæ conſcii iterum reperti ſint: Ultra diem extra Paræciæ fines eſſe numquam licere, niſi in Diœceſi a

Vi-

Vicario Foraneo, in Urbe a Præfecto Portæ, & a Vicario Noſtro Generali, ſi de mora ultra triduum ducenda agatur, poteſtate facta, ſibi certiſſime perſuadeant; tum vero teneri inde Sacerdotem alium a Nobis antea approbatum ſufficere, qui eorum partes rite adimpleat & ſuſtineat. Ergo lubentiſſime hæc juſſa faciant, quibus & Dei *cultus*, & eorum miniſterium continetur, ne contumaciæ, detrectando, pœnas ſolvant, & quod terribilius eſt, Divini Judicii interminationem incurrant.

CAPUT XVI.

De Doctrina Chriſtiana.

1745.

IN ampliſſima hac Diœceſi perluſtranda animadvertimus alicubi in Sacroſancto Doctrinæ Chriſtianæ Inſtituto exercendo eas rationes iniri, quæ

Regulis hac in Re à Sancto Carolo traditis, & a claræ memoriæ Cardinali Federico Borromæo, cæteriſque Prædeceſſoribus Noſtris confirmatis adverſantur, quo fit, ut cum parvulis panem petentibus non ſit, qui accurate frangat, neſciant deinde Populi ignorantiæ tenebris involuti nec metuere, quod Deus iraſcitur, nec amare, quod præcipit. Nos igitur totis viribus huic malo occurrere volentes, ex quo Animarum perniciem emanare infelici nimium experientia docemur, hortamur, & obſecramus Parochos, alioſque Animarum Rectores, ut ſibi proponant in hoc Inſtituto feliciter promovendo laborem omnem, omnemque diligentiam ab ipſis requiri, eiſdem in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis præcipientes, ut ſingulis Dominicis, cæteriſque diebus Feſtis de præcepto, Campanarum ſonitu ad id præ-

miſſo,

miſſo, hora, quæ Populis eorum curæ concreditis commodior ſit, illos ad Eccleſiam convocent, & precibus de more peractis, ipſi per ſe, præcipue ſuper fidei myſteriis, de modo rite, & recte Sacramenta ſuſcipiendi, nec non ſuper formulis Actuum Fidei, Spei, & Caritatis, aliiſque ad ſalutem ſcitu neceſſariis interrogent, & in caritate non ficta inſtruant, doceant, & erudiant, plane ſibi ſuadentes ſe muneri ſuo minime ſatisfacere, niſi, antequam ſermonem habeant, in cathecheſi hac perquam utili, & prorſus neceſſaria ſe exercuerint. Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum nedum latino, at etiam italico idiomate doceant, ut Auditores facilius, atque adeo fructuoſius verborum ſenſum percipiant, animoque, & memoria comprehendant, ac retineant. Illud autem Nos jubemus, ac plane curari mandamus, ut Diſpu-

 ta-

tatiunculæ inter Pueros, Puellaſque inſtituantur, ita enim fiet, ut ætas illa in malum, bonumque ſine delectu propendens ſacræ hujus occupationis beneficio ad vitium fugiendum, virtuteſque amplectendas ſenſim erudita omnia tandem pietatis, ac religionis chriſtianæ ſemina imbibat. Ut autem ex hac laudabili exercitatione uberiores fructus exiſtant, cura ſit Parochorum Claſſes inſtituere, & formare ad præſcriptum Regularum Doctrinæ Chriſtianæ, & ſingulis Claſſibus, quem, vel quam aptiorem eſſe cognoverint præficere, & præſertim Sacerdotes, vel Clericos intra fines Paræciæ degentes, quorum opera in ſacro hoc Inſtituto, quemadmodum, & in aliis Eccleſiaſticis Functionibus, Parochos omnino coadjuvari volumus. Ii autem, qui Claſſibus præficientur, adſcriptos, vel adſcriptas interrogabunt, & inſtruent, quo in munere

non

non alio libro, quam compendio Doctrinæ Chriſtianæ, vel Interrogatorio, ut ajunt, juſſu Sancti Caroli edito, vel aureo Cardinalis Bellarmini opere utendum erit.

1748.

Quam grave onus Parochis, aliiſque Animarum curam gerentibus incumbat Populos eorum Fidei concreditos ſingulis diebus Feſtis Doctrinæ Chriſtianæ initiis erudiendi Apoſtolicæ Summorum Pontificum Conſtitutiones, & iterata Prædeceſſorum Noſtrorum Decreta ſatis, ſuperque demonſtrant. Caveant igitur iidem Animarum Rectores, ne hac in re negligentiæ, & omiſſionis labe notentur, ſibi ob mentis oculos perpetuo proponentes Chriſtum Dominum in Majeſtate judicantem, & villicationis rationem jam jam depoſcentem.

1761.

Ut *idem ſapiamus unanimes idipſum ſentientes* (1), *idipſum dicamus omnes, & ſimus perfecti in eodem ſenſu, & eadem ſcientia* (2), Parochis omnibus, ac Sacerdotibus in Chriſtiana Catecheſi debitam operam navantibus mandamus, ut in tradendis, ac explicandis Chriſtianæ Doctrinæ rudimentis rationem, ſententiam, ac modum ineant a Catechiſmo Romano præſcriptum, quem inter Libros noſtris Clericis neceſſarios (3) jam adnumeratum Sanctus Carolus Prædeceſſor Noſter tamquam tutiſſimam in docendo, & diſcendo regulam huic Noſtræ Eccleſiæ Mediolanenſi olim commonſtraverat (4), & Romani Pontifices, ac noviſſime

(1) Ad Theſſal 2. 2. & 3.
(2) I. ad Corinth. 1. 10. & 11.
(3) Concil. Prov. Med. 1. p. 2. tit. *Qui lib. potiſs. a Cler. leg.*
(4) Vid. Lit. Noſt. Paſt. *Alli RR. Parrochi della Noſtra Città, e Dioceſi* 22. Jul. 1761.

viſſime SS. D. N. Clemens XIII. *veluti Catholicæ Fidei, ac Chriſtianæ Diſciplinæ normam* univerſæ Eccleſiæ propoſitum voluerunt (1).

1766.

Nihil Nobis antiquius, nihil Nobis cordi altius defixum, quam ut Sacroſanctum Euangelicæ Prædicationis, & Doctrinæ Chriſtianæ Inſtitutum, unde Fides, ac Religio in animis Populorum divinitus inſitæ nutriuntur, in Urbe, ac Diœceſi univerſa, ſervatis Regulis, ac Inſtructionibus a Sancto Carolo jam præſcriptis, quamdiligentiſſime colatur. In re tam gravi Ven. Parochorum fere omnium ſollicitudinem, & diligentiam abunde jam Nobis, dum Viſitationem Paſtoralem ageremus, ac plenius noviſſime per Viſitatores Noſtros, ſumma cum animi

(1) Vid. Lit. Clem. XIII. ad omnes Epiſc. 14. Jun. 1761. relat. in dicta Noſt. Paſtor.

mi exultatione, comprobatam quammaxime commendavimus. At vero, cum alicubi compertum ſit ſeu Meſſium, ſeu Autumni, ſeu Majorum Solemnitatum cauſa, id muneris ab aliquibus Parochis negligi, vel omitti; Nos iccirco prædictas omnes, aliaſve ejuſmodi cauſas inanes prorſus, & irritas declarantes, omnibus quibuſcumque Animarum Curatoribus præcipimus, & mandamus, eorum etiam conſcientiam onerando, ut ſingulis omnino totius anni diebus Feſtis tam in Euangelica Doctrina, quam in Fidei rudimentis explicandis operam ſuam, & miniſterium, clauſis interim, quod opportune admonemus, cujuſcumque Loci Cauponis, ac Tabernis, ne vel minimum deſiderari ſinant, ne prætextu quidem ad Feſtorum celebritates in finitimas Paræcias conveniendi. Quod ſi Meſſium tempore, tum alia quavis occaſione, pauci admodum ad

Do-

Doctrinam Chriſtianam conveniant, ipſi tamen Parochi iis paucis, licet puerulis Orthodoxæ Fidei elementa tradant, ac Myſteria explicent. Tandem hoc apprime, neceſſarium ovium ſuarum paſcendarum munus, in quo Salutis noſtræ principium, & Sanctiſſimæ Religionis fundamentum vere poſita ſunt, eo uſque præſtari volumus, ut, ſiqui Famuli, quod lactis, & armentorum cura aſſidue detineantur, rudes adeo, atque imperiti ſint, ut quæ ad æternam ſalutem conſequendam ſcitu omnino neceſſaria ſunt, haud ſatis percipiant, Ven. Parochi, quo frequentius poterunt, eos ad ſe evocent, vel ipſi ad eos ſe conferant, prout magis expedire judicaverint, eoſque in Fidei noſtræ initiis, & Divinæ Legis præceptis inſtituant; memores Jeſum Chriſtum Redemptorem noſtrum, qui pretioſiſſimum Sanguinem ſuum pro his quoque in Ara Crucis

mi-

miſericorditer fudit, eorum etiam rationem ab iis, quorum curæ credidit, ſtrictiſſime poſtulaturum.

CAPUT XVII.

De Codicibus Parochialibus.

1742.

NOvimus quibuſdam in locis Baptiſmata, Matrimonia, Defunctorum funera, eorumque nomina, & cognomina, qui Sacramentum Confirmationis ſuſceperunt, nec non numerum, & ſtatum Animarum aut omnino non deſcribi, aut certe minus recte, & clare in Codicibus Parochialibus exarari, quos etiam alicubi minus caute cuſtodiri intelleximus, ex quo plurima, eademque graviſſima damna perſæpe oriuntur. Ne igitur hujuſmodi incuria maxime vituperanda latius ſerpat, præcipimus, & diſtricte mandamus omnibus, & ſingulis quovis modo

do

do Animarum curam gerentibus ſub pœna vigintiquinque nummorum aureorum, ut poſthac, nulla interpoſita mora, cum Baptizatos, ac Confirmatos, tum Matrimonio junctos, & ex hac vita decedentes in Codices Parochiales in hunc finem paratos intra Armarium in Sacriſtia Parochialis Eccleſiæ ad id extructum, & clave munitum cuſtodiendos referant, itemque quotannis librum ſtatus Animarum conficiant, ſervatis omnino formulis in Conſtitutionibus hujus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ præſcriptis, diemque, & annum non per abacum, ſed per literas annotando. Porro in deſcribendis Baptiſmis illud etiam jubemus, ut non ſolum dies, & annus nativitatis, & Baptiſmi collati, verum etiam, quoad ejus fieri poterit, hora ipſius nativitatis indicetur: Inſuper volumus, ut præter nomen, & cognomen ſuſcipientium in Baptiſmo, & Patrinorum, ſeu Matrinarum

rum in Confirmatione, nomina quoque Parentum ipſorum ſuſcipientium, ſeu Patrinorum, & Matrinarum omnino exprimantur. In Matrimonii autem contractu deſcribendo Teſtium nominibus hæc clauſula erit addenda, nimirum ipſos Teſtes fuiſſe ad hoc ſpecialiter vocatos. Atque ut certo nobis innoteſcat, an in re tam gravi Parochi, cæterique Animarum curam gerentes proprio muneri ſatisfecerint, iiſdem præcipimus, ut impoſterum exemplum omnium Baptiſmatum, Matrimoniorum, Funerum, Confirmatorum, & ſtatus Animarum cujuslibet Anni præcedentis propria manu ſubſcriptum, & fideliter ad verbum ex præfatis Codicibus extractum ante diem decimam quintam ſubſequentis Januarii ad reſpectivos Vicarios Foraneos deferant, qui deinde ſingula eadem exempla ante exitum prædicti menſis Januarii Cancellario Noſtro Archiepiſcopali tradenda curabunt. Quoniam vero hujus Decreti executionem

a Reverendiſſimo Epiſcopo Famaguſtano hujus Civitatis, & Diœceſis Viſitatore Apoſtolico conditi, a Prædeceſſoribus Noſtris haud ſemel imperatam aliquos tam Parochos, quam Vicarios Foraneos per plurium Annorum curriculum negligere non puduit, iccirco hos ſingillatim, ac ſerio monemus, ne diutius in Archivo Noſtro Archiepiſcopali enuntiata omnia exempla, quæ ſingulis Annis erant mittenda, deſiderari patiantur, ſed ea fideliter exſcripta, & in unum collecta, ab eo ſcilicet Anno inchoando, quo id præſtare omiſerunt, omnino intra proximum Januarium ad præfatum Cancellarium Noſtrum perferri ſtudeant. Quicumque huic Decreto non paruerit, ſciat nos in eum graviter animadverſuros.

1748.

Ut ab omnibus Animarum Rectoribus una, eademque ratio in Baptiſmis,

tiſmis, Matrimoniis, ac Funeribus, nec non Confirmatorum nominibus deſcribendis ſervetur, hujuſmodi deſcriptionum formulas, brevibus etiam inſtructionibus adjectis, in hac Congregatione ſtatuere, & materna lingua evulgare placuit, a quibus nullatenus erit recedendum.

Formola di deſcrivere i Batteſimi.

Mille ſettecento Addì
del meſe di

N. Figlio di N. N., e di N N. legittimi Conſorti abitanti nel luogo detto N., o nella Caſſina detta N. ſotto queſta Parrocchia nato jeri, *ovvero* il dì alle ore, o circa, è ſtato Battezzato il giorno ſuddetto da me Curato infraſcritto in queſta Chieſa Parrocchiale di S. N. del luogo di N. Il Compadre è ſtato N. N. Figlio di N. della Parrocchia

di

di N., e la Comadre N. N. Figlia di N. N., *ovvero* Moglie di N. N. della Parrocchia di N. Ed in fede

Prete N. N. Curato di N.

Se vi ſarà ſtato il ſolo Compadre, ſcriverà ſolamente il di lui nome.

Se il Figlio non ſarà di legittimo Matrimonio, e per motivi rilevanti non convenga nominare il Padre, e la Madre, ſi ſcriverà in queſto modo Figlio di Padre, e Madre incogniti.

Se il Batteſimo ſarà ſtato amminiſtrato in Caſa della Levatrice, perchè ſiaſi preveduto imminente il pericolo di morte, ſi dovrà notare il tutto diligentemente dal Parroco, e qualora il Bambino ſopraviva, ſi dovrà portare alla Chieſa, affine di ſupplire le ſacre Cerimonie, ed allora ſi ſcriverà così: Battezzato in Caſa della Levatrice per l' imminente pericolo di morte, e conſtando della validità del Batteſimo

ſono ſtate ſupplite le ſacre cerimonie da me ec. il giorno ec. in queſta Chieſa ec., alle quali ha tenuto N. N. Figlio di N. del luogo di N.

Qualora poi ſi dubiti prudentemente della validità del Batteſimo conferito dalla Levatrice, o da altra Perſona, dovrà il Parroco in queſto caſo amminiſtrarlo ſotto condizione, eſprimendo il tutto nel Libro, aggiungendovi altresì il fondamento del dubbio.

Dove il Battiſterio è ſeparato dalla Chieſa, ſi dirà: Battezzato nella Cappella del Battiſterio di queſta Parrocchia di S. N. del luogo di N.

Se il Batteſimo ſolenne non ſarà ſtato amminiſtrato dal proprio Parroco, ma da altro Sacerdote, dovrà eſſo Sacerdote di propria mano ſcrivere nel Libro a tenore della ſuddetta formola, eſprimendone il motivo, o ſia la cagione, ed al dippiù la licenza avuta per tale amminiſtrazione.

For-

Formola di deſcrivere i Matrimonj.

Mille ſettecento Addì
del meſe di

Premeſſe le tre ſolite pubblicazioni dentro la Meſſa Parrocchiale in tre giorni Feſtivi, in occaſione del maggior concorſo del Popolo, cioè la prima addì del meſe di giorno di Domenica, la ſeconda addì dello ſteſſo meſe giorno di la terza addì del meſe di Feſta di S. N., nè eſſendo ſtato oppoſto alcuno legittimo impedimento, è ſtato celebrato il Matrimonio per parole di preſente in queſta Chieſa Parrocchiale di S. N. del luogo di N. tra N. N. Figlio di N. del luogo di N., e N. N. Figlia di N. di queſta Parrocchia alla preſenza, ed interrogazioni di me Curato infraſcritto, conforme comanda il Sacro Concilio di Trento.

Sono ſtati preſenti per Teſtimonj a tal effetto chiamati N. N. Figlio di N. del luogo di N. , e N. N. Figlio di N. del luogo di N. ; Ed in fede

Prete N. N. Curato di N.

In caſo , che da Noi , o dal Noſtro Vicario Generale , o dal proprio Parroco ſi concedeſſe licenza ad un altro Sacerdote di aſſiſtere a qualche Matrimonio , converrà , che eſſo Parroco ne faccia nota al Libro , regiſtrando la licenza , e poſcia il Sacerdote , che colla detta licenza avrà in luogo del Parroco aſſiſtito al Matrimonio , deſcriva nel Libro lo ſteſſo Matrimonio ſecondo la Formola già preſcritta.

Quando o l' uno , o l' altro dei Conſorti , o amendue foſſero Vedovi , ſi noterà lo ſtato vedovile , aggiungendovi queſte parole : Vedovo , o Vedova per la morte di N. N.

Si dovrà pure far eſpreſſa menzione di qualunque diſpenſa riportata , o dal-

la Santa Sede Apoſtolica, *o dalla noſtra Curia Arciveſcovile*, *eſprimendoſi in queſto modo*: come da Breve Apoſtolico, o da Decreto ſpedito il dì del meſe di dell'Anno che ſi conſerva in filza.

Se accaderà, che il Matrimonio debba pubblicarſi in altre Parrocchie, ſi noteranno i giorni, in cui ſi ſaranno fatte le pubblicazioni altrove, aggiungendovi come dall'atteſtato del Parroco di N. che ſi conſerva in filza.

Quando avvenga, che ſi amminiſtri il Batteſimo, o ſi celebri il Matrimonio colla dovuta facoltà in altrui Parrocchia, allora il Curato, che avrà battezzato, o aſſiſtito al Matrimonio, traſmetterà ſubito l'opportuna deſcrizione al proprio Parroco, il quale dovrà eſſo pure regiſtrarla ne' ſuoi Libri Parrocchiali.

* * *
* *

Formola di deſcrivere i Morti.

Mille ſettecento Addì
del meſe di

N. N. Figlio di N. N., *ovvero* Moglie, o Marito di N. N. abitante in queſta Parrocchia munita dei Santiſſimi Sacramenti della Penitenza, Eucariſtia, ed Eſtrema Unzione, premeſſi gli Atti di Fede, di Speranza, di Carità, e di Pentimento, compartita allo ſteſſo la Benedizione Papale coll' applicazione dell' Indulgenza Plenaria, e raccomandata la di lui Anima a Dio colle preci dalla Chieſa preſcritte, è paſſato da queſta a vita migliore in età d' anni , e fatte l' eſequie coll'intervento di me infraſcritto Curato, e di (*notiſi il numero de' Sacerdoti intervenuti al Funerale*) è ſtato ſepolto il di lui Cadavero nel Cimiterio di queſta Chieſa Parrocchiale

di

di S. N. del luogo di N. (*ovvero*) in queſta Chieſa Parrocchiale di S. N. del luogo di N. il dì del meſe, ed anno ſuddetto. Ed in fede

Prete N. N. Curato di N.

Se taluno morrà ſenza ricevere tutti i Sacramenti, e tutti i ſuſſidj ſpirituali di ſopra nominati, dovrà il Parroco eſprimere ſinceramente nel Libro la vera cagione di una tale omiſſione.

Formola di deſcrivere i Creſimati.

Addì del meſe di l'Anno mille ſettecento

N. Figlio di N. N., e di N. N. legittimi Conſorti della Parrocchia di S. N. del luogo di N. è ſtato Creſimato nella Chieſa di S. N. del luogo di N. dall'Eminentiſs., e Reverendiſs. Sig. Cardinale Arciveſcovo noſtro, *ovvero*, da Monſignor Illuſtriſs. Veſcovo di N. Il Compadre è ſtato N. N. Figlio di N.

del luogo di N., *ovvero*, la Comadre è ſtata N. N. Figlia, *ovvero*, Moglie di N. N. del luogo di N.

Si laſcierà il nome del Padre, e della Madre in quelli, che non ſono di legittimo Matrimonio.

Quod attinet ad methodum conficiendi ſtatum Animarum, ſerventur Inſtructiones hac de re juſſu Sancti Caroli editæ.

CAPUT XVIII.

De Refectionibus.

1742.

EO nonnullorum Sacerdotum cæcitatem, & impudentiam deveniſſe vehementer dolendum eſt, ut conformantes ſe huic ſæculo dies, quibus vel Eccleſiarum Feſtivitates ſolemni ritu coluntur, vel Anniverſaria celebrantur, vel menſtrui Conventus habentur, lautiſſimis conviviis inſtruen-

ſtruendis, commeſſationibus, & quod deteſtabilius eſt, quandoque etiam ebrietatibus, ludis, & contentioni impendant, qui alioquin Divini Nominis ſanctificationi, vocibus exultationis, & ſalutis, Pſalmis, Hymnis, & Canticis eſſent conſecrandi. Hinc hujuſmodi Sacerdotes pluribus offenſionem dantes in cauſa ſunt, cur eorum miniſterium vituperetur. Nos igitur pro Paſtoralis Officii Noſtri debito abuſum hunc funditus eradicare, & ſobrietatem ab Apoſtolo Paulo, a SS. Patribus, a Conciliis Œcumenicis, & a Noſtris Conſtitutionibus Provincialibus, & Diœceſanis præſcriptam ſervari volentes mandamus, ut in refectionibus quavis occaſione per Eccleſiaſticas Perſonas apparandis ab immoderatis ſumptibus, & exquiſitis nimium cupediis, ac obſoniorum redundantia abſtineatur, mulcta ſex nummorum aureorum Locis Piis applicandorum

nulla-

nullatenus remittenda contra inobedientes propoſita.

1745.

Rei familiaris anguſtia potiſſimum in cauſa eſt, cur enuntiata Apoſtolica Sanctio de applicatione Miſſarum ea, qua par eſt, diligentia minime adimpleatur; cum alioquin ad aures noſtras devenerit eos ipſos, qui reddituum tenuitatem excuſantes ſe per ſummum errorem ad eidem Sanctioni obtemperandum nullatenus adſtringi arbitrantur, eos, inquam ipſos in celebritate Feſtorum, Anniverſariorum, & Conventuum Menſtruorum immodicos ſumptus in lautiſſimis Conviviis inſtruendis inſumere, ex quo graviſſima ſcandala, & Animarum perniciem oriri nemo eſt, qui ignoret. Nos igitur abuſum hunc tot malorum fontem de medio tollere volentes, & accuratam prædictæ Sanctionis execu-

tio-

tionem totis viribus, omnibuſque mediis requirentes, confirmamus Decretum Quartum hac de re editum in Congregatione Vicariorum Foraneorum habita Anno MDCCXLII., pœnamque ſex nummorum aureorum Locis Piis applicandorum contra inobedientes in eodem Decreto propoſitam, Nos hic innovamus nullatenus remittendam. Vicarii autem Foranei, quoties abuſum hunc contra Eccleſiaſticam modeſtiam, & frugalitatem permiſerint, toties ſex nummis aureis plectentur. Et quoniam grave admodum Nobis fuit intelligere aliquos ex Vicariis Foraneis, quorum munus eſſe deberet hoc unum ſpectare, ut hujus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Decreta plenam executionem habeant, non modo hac in re nullam diligentiam adhibuiſſe, ſed ipſos quoque in Conviviis apparandis præſcriptam frugalitatem minime ſervaſſe, idcirco omnibus, & ſingulis Vicariis Fo-

raneis

raneis, quibus omnium Decretorum executionem ſummopere commendatam volumus, diſtricte injungimus, ut hac etiam in re exemplo cæteris præluceant, & in menſæ apparatu a ſæpius laudata frugalitate, Sacerdotalique modeſtia ullo umquam modo diſcedere audeant, alioquin præter pœnas contra Parochos inflictas, alias etiam graviores arbitratu Noſtro ſubibunt.

1761.

Si quando in Diœceſi occaſione Conventus Eccleſiaſtici, aut Feſtivæ celebritatis prandium ſit parandum, ad normam Decretorum inſtruatur (1).

Menſas haſce ſemper condiat, & commendet Sacerdotalis temperantia, & Religioſa frugalitas.

Vi-

(1) Conc. Prov. 1. p. 2. tit. *de Vicar. Foran.* Syn. Diœceſ. 2. Decr. 30. Syn. 4. Decr. 22. Syn. 11. tit. *Quæ ad Divina Off.c.* verſ. *in Diœc.* Syn. 31. cap. 15. Syn. 33. Decr. 17. Decr. 4. in Congreg. Vic. For. an. 1742.

Vicarios Foraneos præcipue monemus, ut Decreta hæc toties repetita a Parochis quidem, quibus præſunt, obſervari curent, ſed & ipſi obſervent exactiſſime, ut cæteris exemplo præluceant.

1766.

Jure ac merito de iis Parochis conquerimur, qui neglecta executione Decretorum, quæ toties nedum ſancita, verum etiam terque, quaterque confirmata prodierunt, quibus diebus vel Eccleſiarum Feſtivitates ſolemni ritu coluntur, vel Anniverſaria celebrantur, vel Menſtrui Conventus habentur, immodicos ſumptus in conviviis laute inſtruendis inſumunt. Graviſſime autem de aliquibus ex Vicariis Foraneis dolemus, quibus cum cura omnis adhibenda ſit, ut hujus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Decreta exactiſſime adimpleantur, non modo de hac re parum ſolliciti ſunt, ſed ipſi quoque in conviviis parandis præſcriptam fruga-

galitatem, & religioſam temperantiam minime ſervant. Quorſum ſane hujuſmodi cœci homines, ſi quid vel in Eccleſiæ utilitatem, vel in pauperum ſubſidium, ſeu in aliam cauſam honeſtiſſime erogandi occaſio contingat, rei familiaris anguſtiam, & reddituum tenuitatem excuſant, dum inde ad exquiſita cupedia, & redundantiam obſoniorum largos admodum, quin & immoderatos ſumptus ſtultiſſime conferunt? Porro ad hujuſmodi contumaciam contra Sanctiſſimas Conſtitutiones non ſine Bonorum offenſione de medio tollendam, id ſtatuimus, quod certiſſime adimplebimus: Si qui Parochi, ac præcipue Vicarii Foranei, Hi enim, ſi Parochis præſunt, præſint etiam exemplo, Decreta de hac re toties repetita violaverint, quandoquidem ſe habere pecuniam in profanos uſus impendendam oſtenderint, eam Nos melius ad paupe-

rum,

rum, & egentium Monaſteriorum ſublevandas anguſtias, pro modo culpæ adhibita mulcta, convertemus.

CAPUT XIX.

De Matrimoniis.

1748.

VIcariis Foraneis præſenti Sanctione vetamus, ne ad Teſtes ſuper libertate ſtatus nubere volentium examinandos ullatenus deveniant, niſi prius a Nobis, vel a Vicario Noſtro Generali in ſingulis caſibus fuerint ſpecialiter delegati, & tunc jubemus ſervari inſtructiones, quæ una cum præfata delegatione ad ipſos tranſmittentur.

1761.

Literæ Sacræ Congregationis Supremæ Inquiſitionis, quibus cautelæ quoad Matrimonia cum exteris contrahenda continentur fuſius etiam extenſæ in inſtructione ejuſdem Congregatio-

tionis XXI. Auguſti MDCLXX., jamdudum per Deceſſores Noſtros fuerunt promulgatæ (1). Eas ad graviſſimum Polygamiæ crimen totis viribus profligandum a Parochis, cæteriſque animarum Curatoribus ſervatas volumus exactiſſime.

Caveant propterea ſub pœnis in dictis Literis, & Inſtructionibus enunciatis, ne vel exteros, qui in aliena Diœceſi utcumque noſtræ finitima habitarunt, immo ne noſtræ quidem Diœceſis Subditos, qui ætate ad Matrimonium ineundum apta Diœceſes alias incoluerunt, Matrimonio conjungant, aut conjungendos denuncient, niſi prius illorum Status liber in Noſtra Curia probatus fuerit, aut ſi in aliis Curiis Epiſcopalibus ſit conficiendus, legale Epiſcopi documentum in eadem Noſtra Curia fuerit recognitum. No-

(1) Syn. 33. Decr. 5.

Noverint Vicarii Foranei, ipſorum muneris non eſſe, ad verificandas, ut ajunt, Diſpenſationes Matrimoniales a Curia Romana obtentas; Proceſſus, quos vocant informativos conſtruere, niſi poſt obtentæ Diſpenſationis authenticum documentum Curiæ Noſtræ præſentatum id juris fuerit ipſis a Nobis, vel Vicario Noſtro Generali ſpeciali delegatione collatum.

CAPUT XX.

De Funeribus.

1748.

NObis Archiepiſcopalem hanc curam gerentibus id maxime propoſitum eſſe debet, ut Decretorum omnium, quæ a Prædeceſſoribus Noſtris ſtudioſe, utiliterq; promulgata ſunt cumulatiorem executionis diligentiam requiramus, eorum præſertim, in quibus exequendis longe languidiori

ſtudio actum, aut fortaſſe crebrius peccatum eſt. Quoniam vero ad aures Noſtras pervenit Inſtructiones, & Decreta ad Funera ſpectantia ea quæ par eſt diligentia non ubique ſervari; ideo mandamus, ut omnia, & ſingula in iiſdem Decretis, & Inſtructionibus ſancita pie, inviolateque ab omnibus præſtentur.

CAPUT XXI.

De Miſſis.

1742.

MIſſæ Parochialis Sacrificium ex Decreto Concilii Provinc. IV. die feſto duabus circiter a Solis ortu horis in omni Eccleſia Parochiali celebretur, datis ſemper ante ſtatis Campanæ ſignis, iiſque ſemihoræ intervallo diſtinctis, ut in tempore Populus convenire poſſit, quod ſi Parochi ſine juſto impedimento, aut non impe-

pe-

petrata prius a Nobis facultate, ante, vel poſt horam a Concilio præfinitam celebraverint, Vicarius Foraneus eos prima vice officii ſui commoneat; contumaces vero poſt monitionem ad Nos deferat, ut juſtam de iis pœnam exigamus. Cæteris autem diebus profeſtis ea potiſſimum hora Miſſa celebretur, quæ Populo univerſo magis accomodata erit.

Capellani, qui licet in determinatis Eccleſiis, & ad determinata Altaria ex vi fundationis, conventionis, alteriuſve tituli celebrare teneantur, tamen oneris ſibi incumbentis in ſuarum animarum perniciem obliti in aliis Eccleſiis, aut Altaribus pro ſuo arbitratu Sacrum faciunt, audentes inſuper Miſſas in libris deſcribere, ac ſi in propria Eccleſia, aut Altari celebraſſent, ſciant ſe oneribus ſuis minime ſatisfacere. Præterquamquod pœna decem nummorum aureorum, ut ſancitur in Synodo XXXV. mulctabuntur.

In Noſtris Conciliis Provincialibus, & Synodis Diœceſanis ſæpius cavetur, ut in unaquaque Sacriſtia liber cuſtodiatur, in quo Parochus, & alii Sacerdotes, qui quovis obligationis titulo in ea Eccleſia Miſſæ Sacrificium celebraverint ſingulis diebus, Miſſa abſoluta manu propria ſcribant, & teſtentur ſe ea die celebraſſe, aut Eccleſiæ, aut Capellæ, Legative Pii, aut Anniverſarii, aut Funeralis Officii nomine, cui deinde libro a Rectore Eccleſiæ ſingulis diebus erit ſubſcribendum. Hoc autem Decretum volumus omnino ſervari ſub pœnis in Synodo XXXIV. Cap. 3. conſtitutis nimirum decem aureorum Rectoribus, ſeu Præfectis Eccleſiarum, ſi dictum librum in Sacriſtia aſſervari non curent, & viginti ſolidorum Sacerdotibus celebrantibus, quoties dietim manu propria poſt celebrationem non ſcripſerint.

1745.

1745.

Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, in quo ſalutaris Hoſtia, quæ nos Deo Patri reconciliavit, in Altari quotidie a Sacerdotibus in remiſſionem peccatorum offertur, ac ſumitur, quanta maxima fieri poteſt cordis munditia, & puritate, atque ſummæ devotionis, ac pietatis ſtudio eſt peragendum. Sacerdos igitur antequam ad Altare accedat, diligenti prius examine conſcientiæ ſuæ latebras diſcutiat, atque ad Confeſſarii pedes ſe proſternat octavo quoque die, etiamſi gravioris delicti reum ſe eſſe non ſentiat, ac ſæpius præterea, quoties mortalis culpæ conſcius ſit, ne forte cum aliis opem attribuit, ipſe ſibi judicium ſumat. Mente quoque recogitet, ac pie meditetur Myſterii, quod tractaturus eſt, dignitatem, atque excellentiam, tum propriam ipſius miſeriam, ac vilita-

tem, ſummum quoque Chriſti erga nos amorem, & caritatem, quæ in Sacramento illo mirabiliter elucet, tum ſuum in diligendo torporem, ac prope contumaciam, totumque ſe in immenſam illius miſericordiam projiciens interno cordis clamore ſe tanto hoſpite indignum eſſe cognoſcat, & coram Domino fateatur. Dum in Altari erit, omnia ſedate, graviter, diſtincte, ac devote pronuntiare ſtudeat, nullamque ex ſtatis illis cæremoniis, ritibuſque prætermittat, qui in Rubricis præſcribuntur. Miſſa abſoluta, & Sacris Veſtibus in Sacriſtia depoſitis, iterum in locum ad id paratum ſe recipiat, ubi poſt laudis, & gratiarum actionis affectus, audiat, quid ſibi Chriſtus loquatur, & diſcat ab eo veram morum emendationem, & veras virtutes. Quoniam vero non ſine gravi animi noſtri ſenſu audivimus nonnullos Sacerdotes id unum ſtudere, ut quam citiſſi-

tiſſime in celebrando ſe expediant, quodque enormius eſt de hujuſmodi præcipiti celebratione quandoque glorientur, idcirco mandamus Præfectis in Civitate, & Vicariis Foraneis in Diœceſi, ut hujuſmodi Sacerdotum adeo irreligioſe celebrantium nomina ad Nos deferant, ut arbitraria ſuſpenſione a Divinis plectantur, eaque Myſteria non attingant, quæ indigne tractare non exhorreſcunt.

Toto animo, omnique ſtudii Paſtoralis contentione in id incumbere, atque adeo elaborare debemus, ut Summorum Pontificum Conſtitutiones, ac Decreta executioni omnino demandentur. Quare præcipimus omnibus, & ſingulis quovis modo Animarum curam gerentibus, & iis, qui Miſſas canunt in Collegiatis, nec non Canonicis earumdem Collegiatarum, ut Conſtitutionem, ſeu Epiſtolam Encyclicam SS. Domini Noſtri Benedicti

Papæ XIV. feliciter Regnantis juſſu editam ſuper onere celebrandi, & applicandi pro Populo quoad Parochos, alioſque Animarum Rectores, & pro Benefactoribus quoad eos, qui Miſſas canunt in Collegiatis, ac ſuper debito pſallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Collegiatarum, quam diligentiſſime ſervent, & exequantur, de qua quidem executione reddere ipſi rationem debebunt, & Nobis, & Chriſto Domino in die Judicii.

CAPUT XXII.

De Functionibus Eccleſiaſticis.

1742.

GRaviter doluimus, ubi ad aures noſtras perlatum eſt in eccleſiaſticis Functionibus obeundis, & in Divinis Officiis perſolvendis, plures irreverentias, atque abuſus ob quorundam Sacerdotum levitatem, & deplorandam nimis

nimis negligentiam irrepſiſſe, adeo ut juſto timore concutiamur, ne hujuſmodi Sacerdotum oratio fiat in peccatum. Nos, quibus nihil antiquius eſt, quam ut Chori Diſciplinam a Prædeceſſoribus Noſtris, & præcipue a Sancto Carolo in Concilio Provinciali Quinto, & a fel. recor. Cardinali Federico Borromæo in Cærimoniali Noſtro Ambroſiano traditam, ſartam, tectam conſervemus, Præfectis Chori, Vicariis Foraneis, Parochis, & uniuſcujuſque Capituli, ac Plebis Punctatoribus in virtute ſanctæ obedientiæ, illorum etiam conſcientiam onerando præcipimus, quatenus promptioribus remediis curent, ut quicumque ad Dei laudes concelebrandas in Eccleſiam conveniunt, majori ſtudio, pietate, & attentione id muneris, quod ſibi cum Angelis commune eſt, deinceps obeant. Curent inſuper, ut omnes Divina Officia, ſeu Horas

Cano-

Canonicas, prout temporis ratio poſtulabit, alternis vocibus canant, recitent, attenteque audiant, idque non curſim, non perturbate, non oſcitanter, ſed leniter, diſtincte, ſtudioſe faciant, interpunctionum morulis rite ſervatis. Et cum non ſolum mentis attentio, verum etiam corporis decens compoſitio requiratur, pro temporis, & Officii ratione, ex Inſtituto, & more Eccleſiæ, ac nutu Præfecti Cæremoniarum ſedeant, ſtent, flectant genua, caput aperiant, & inclinent, cæteraque ejus generis adhibeant. Omnes vero æque, & eodem tempore idem faciant, ne peculiaris, & intempeſtiva devotio ordinem Chori perturbet; ita ut quando ſtandum eſt, aut ſedendum, ſtent, vel ſedeant, etiamſi peculiaris devotio, vel oratio ad genuflectendum invitaret. Illud inſuper animadvertant nullum ex Eccleſiaſticis in Chorum eſſe admittendum, niſi talari veſte,

eaque

eaque non lacera, ſed decenti, & habitu chorali, vel mundo ſuperpelliceo, ubi ſimplex Sacerdos, aut Clericus ſit, indutum, uſu Veſtium intercisarum, vulgo *Traverſe* ſeu *Scoſſali*, earumque itidem, quibus manicæ deſunt, non ſolum in Miſſæ celebratione, verum etiam in Defunctorum Officiis, in Funeribus ducendis, ac demum in omnibus Eccleſiaſticis Functionibus prorſus interdicto; decernentes Sacerdotes hujuſmodi Veſtibus interciſis, vel ſine manicis poſthac in prædictis Functionibus utentes perinde puniendos, hac ſi Veſte breviori uterentur. Canonicos vero, aliosque Choro addictos in abſentium numerum eſſe referendos. Serio itidem Sacerdotes monemus, ut nonniſi talari veſte induti ad Eccleſiam celebraturi accedant. Idipſum a Canonicis, cæteriſque Chori officio adſtrictis ſervandum eſſe declaramus, quum in Eccleſias ad pſal-

len-

lendum ſe conferunt. Hæc aliaque in Noſtris Conſtitutionibus hac ſuper re ſancita ab omnibus Sacerdotibus, & Clericis, dum in Eccleſia, & Choro verſantur, ita ſervari volumus, ut parati ſimus non ſolum delinquentibus, ſed etiam ipſiſmet Præfectis Chori, Vicariis Foraneis, Parochis, & Punctatoribus graviſſimas pœnas irrogare, ubi quidquam hac in re peccati patiantur. Cum autem ſacræ Cærimoniæ, ſi rite, & religioſe peragantur, mentes illorum, qui eas intuentur, ad ſublimium rerum cogitationes erigant, fidemque, & caritatem in iis ipſis excitent, idcirco enixe hortamur omnes, & ſingulos Archipresbyteros, Præpoſitos, Canonicos, Parochos, Vicarios, cæteroſque Sacerdotes, ac etiam Clericos, ut Rubricas, Decreta S. R. Congregationis, nec non Libros Cærimoniales attente legant, diligenter ediſcant, iiſque ſe conforment, quo fiet,

ut in Eccleſiaſticis Functionibus admirabilis religio, pietas, rituum, cærimoniarumque decor, & ſanctitas relucescat. Quod ſi dubium aliquod ſuboriri contigerit, conſulant Magiſtros cærimoniarum Eccleſiæ Noſtræ Metropolitanæ, qui vel dubium ſolvent, & aperient, vel, ſi de re gravioris momenti agetur, illam in Congregatione Rituum diſcutiendam proponent.

1766.

Angelicum, ac pene divinum pſallendi in Choro munus ita exequi ſtudeant Sacerdotes ad Officia pro Defunctis celebranda evocati, ut vere Defunctorum ſuffragium inde oriatur, & ædificatio Populorum. Itaque Officia ipſa non curſim, non perturbate, non oſcitanter, ſed leniter, diſtincte, ac ſervatis interpunctionum morulis, alternis vocibus canant, quas Populi audientes ad pietatem, & compunctio-

nem

nem mirifice excitentur. Ne quiſpiam in Choro, niſi talari veſte, ac mundo ſuperpelliceo indutus admittatur: Decens inibi Corporis compoſitio, ſedendo nimirum, ſtando, genua fle-ctendo, caput aperiendo, inclinandove pro temporis ratione, ex inſtituto, & more Eccleſiæ ſervetur. Nugæ, riſus, confabulationes, aliique omnes actus a Divinæ Majeſtatis cultu alieni prorſus tollantur. Quæ omnia in Noſtris Conſtitutionibus ſancita ſub pœnis in iiſdem contentis non modo Delinquentibus, ſed etiam ipſiſmet Vicariis Foraneis, & Parochis, ubi quicquam hac in re peccari patientur, irrogandis, mandamus religioſiſſime obſervari.

CAPUT XXIII.

De exteris Sacerdotibus.

1742.

EOſdem quoque Vicarios Foraneos attentius invigilare jubemus, an exteri

exteri Sacerdotes in ſuis Plebibus degentes fidejuſſionem in Noſtro Tribunali præſtiterint, an facultatem celebrandi impetrarint, an honeſte habitent, an ſuſceptis Miſſarum oneribus ſatisfaciant, an literas commendatitias a ſuis Epiſcopis reportaverint, & demum an omnia, & ſingula Decreta ad ipſos Sacerdotes ſpectantia a Nobis, vel a Prædeceſſoribus Noſtris edita, & promulgata laudabiliter exequantur. Interim præfati Vicarii horum omnium Sacerdotum ſtatum intra bimeſtre ad Viſitatores tranſmittant, ut ad ea remedia, quæ Nobis opportuniora videbuntur, confugere valeamus.

Cum nulli ex Sacerdotibus Miſſæ Sacrum ſive in Civitate, ſive in Diœceſi peragere liceat, niſi prius facultatis expeditionem, aut confirmationem in hac Cancellaria Noſtra impetrarit, propterea mandamus Præfectis in Civitate, & Vicariis Foraneis in Diœceſi,

item-

itemque Parochis, Sacriſtis, aliiſque Eccleſiarum Rectoribus, ut nullatenus permittant Capellanos maxime exteros in eorum Eccleſiis ſine prædicta facultate celebrare. Iiſdem etiam Præfectis, ac Vicariis Foraneis præcipimus, ut in menſtruis Congregationibus hujuſmodi facultates ſibi ab omnibus, & ſingulis Capellanis, quavis excuſatione ſublata, offerendas curent. Atque ut pœnæ metu quilibet ad ea peragenda, quæ ſunt ſuarum partium, promptior reddatur, mulctam in Synodo XXXIV.Cap.IV. ſtatutam præſenti Noſtro Decreto confirmamus; adeo ut ſiquis per quindecim dies auſus fuerit ſine prædicta facultate celebrare, duobus nummis aureis mulctetur, ſi per menſem, carceris pœnam ſubeat; eidemque duorum aureorum mulctæ Præfecti Eccleſiarum obnoxii ſint, ſi per quindecim dies, quatuor vero aureorum, ſi per menſem eoſdem Capellanos ſine facultate, ut ſupra,

pra, celebrare permiſerint. Volumus inſuper, ut omnes, & ſinguli Sacerdotes, ac præcipue exteri in quibuſcumque Eccleſiis, etiam Monialium, aut Oratoriis Noſtræ juriſdictioni ſubjectis non alio, quam Ritu Ambroſiano Miſſæ Sacrum, aliaſque Functiones Eccleſiaſticas peragant, alioquin & contumaces, & Rectores, ſeu Sacriſtas id permittentes, vel tolerantes ſuſpenſione a Divinis punie-mus.

1756.

Graviter dolendum eſt, quod in Diœceſi hac Noſtra, & Civitate reperiantur Sacerdotes exteri, qui Miſſæ Sacrum faciunt abſque facultatis expeditione a Cancellaria Noſtra, neglectis prorſus decretis hac de re ſæpius editis, ac repetitis; Nos igitur, quibus ad Eccleſiaſticam Diſciplinam ſartam, tectamque conſervandam vehementer cordi eſt effrenatam hanc licentiam coercere; Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærentes pœnas in

Synodo XXXIV. Cap. III. indictas præſenti Noſtro decreto confirmamus, & renovamus videlicet = *Si quis per quindecim dies repertus fuerit abſque prædicta facultate celebraſſe, ſolvat duos nummos aureos; Si vero per menſem pœnam carceris ſubeat, declarantes Præfectos Eccleſiarum etiam ipſos incurrere in primo caſu dictam pœnam duorum aureorum, in ſecundo vero caſu, ſi ſcilicet per menſem permiſerint, quatuor, ulteriorem illorum contumaciam gravius punituri* = Volumus inſuper, & ſub iiſdem pœnis præcipimus nemini facultatem ex Cancellaria Noſtra reportatam ſuffragari poſſe, niſi pro ea tantum Eccleſia, quæ ibidem deſignata eſt, adeout ſi Sacerdos exterus aliò commigret, is nonniſi nova facultatis expeditione impetrata inibi celebrare valeat. Vicarii autem Foranei, ac Parochi, cum Capellanum aliquem mercenarium, ac potiſſimum Extradiœceſanum ab eorum Plebis, aut Paræciæ finibus abire, atque aliò ſe conferre contigerit,

gerit, tum Viſitatorem Regionarium de ejus diſceſſu, atque diſceſſus cauſa certiorem reddant, tum etiam Vicarium Foraneum alterius Plebis, ac Parochum Loci, quo ſe contulerit, de illius moribus, ac vita commonefaciant. Et ne ignorantiam quiſpiam allegare poſſit, mandamus præſens Decretum affigi, & ſervari in ſingulis Sacriſtiis Civitatis, & Diœceſis, etiam Regularium, quos enixe in Domino hortamur, ut nihil in hac re Nobis deſiderandum relinquant ad normam Decretorum, tum Conciliorum Noſtrorum Provincialium, tum Sacræ Congregationis Concilii, & Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium.

CAPUT XXIV.

De Exorciſtis.

1742.

LEgum, & pœnarum contemptus noſtra hac ætate adeo inolevit, ut nonnulli Sacerdotes, ſeu Clerici audeant

exorciſmum Energumenis adhibere, opportuna facultate in ſcriptis hac de re minime impetrata, quamvis id quibuſcumque Clericis, & Sacerdotibus ſive ex Clero Sæculari, ſive ex Ordine Regulari expreſſe prohibeatur in Conc. Prov. IV. & in Synod. X. & XXXV., in qua ſuſpenſio ab officio, & mulcta vigintiquinque aureorum inobedientibus indicitur. Nos igitur effrenatam hanc licentiam coercere volentes mandamus Præfectis in Civitate, & Vicariis Foraneis in Diœceſi, ut quamprimum ad Tribunal Noſtrum nomina, & cognomina eorum, qui hoc exorcizandi munere ſine Noſtra facultate funguntur, deferenda curent. Interim omnes, & ſingulos, quibus grave hoc officium a Nobis, vel a Prædeceſſoribus Noſtris fuit demandatum, vel impoſterum demandabitur, ſerio monemus, atque in Domino hortamur, ut in jejuniis, & orationibus frequenter ſe exerceant, his enim armis potiſſimum

Dæ-

Dæmones ejici ex Euangelio docemur, vitamque ad omnes ſancte, religioſeque vivendi rationes inſtituant. Non turpis lucri, aut inanis gloriæ cupidine ſe duci ſinant, ſed Divini Nominis ſanctificationem, & Animarum ſalutem unice ſibi proponant. Iiſdem inſuper præcipimus ſub pœna ſuſpenſionis ab officio ipſo facto incurrenda, ne aliis exorciſmis uti audeant, niſi iis, qui Rituali Noſtro Ambroſiano juſſu fel. record. Benedicti Cardinalis Odeſcalchi noviſſime impreſſo acceſſerunt.

CAPUT XXV.

De Obſtetricibus.

1756.

PArochi omnes, animarumque Rectores quam diligentiſſime obſtetrices de ratione rite, ac valide Baptiſmi Sacramentum, conferendi erudiant; Eas vero moneant, ut, cum neceſſitate urgente aliquem baptizant, curent, ut ſal-

rem duæ mulieres, ſi fieri poſſit, teſtes adſint, & audiant verba ab ipſis baptizantibus prolata. Ipſæ autem obſtetrices intra trimeſtre ab hujus Decreti promulgatione pœna Nobis arbitraria propoſita omnino referant a Vicario Foraneo in Diœceſi, a Parocho in Urbe Teſtimonium, quo idoneæ ad Baptiſmum conferendum declarentur, nec niſi eo inſtructæ audeant hoc Sacramentum conferre, ut cavetur Conc. Prov. V. ſeſſ. Obſtetrices Tit. *quæ ad Baptiſm. pertinent.*

1761.

Cum ſæpe contingat, ut infantes, qui proxime morituri videntur, ſalutari Lavacro expiare cogantur obſtetrices, Parochis omnibus, ac Vicariis Foraneis ſub interminatione Divini Judicii præcipimus, ut Decretorum, quæ hanc rem ſane graviſſimam ſpectantia aliàs (1) ſancita

---

(1) Conc. Prov. 5. tit. *Quæ ad Baptiſm. pertin* § *Obſtetrices*, & Decr. 11. Congr. Vic. For. an. 1756.

cita ſunt, executionem agant adamuſſim, & exigant. Quapropter illæ dumtaxat Mulieres ſcripto teſtimonio ad id muneris approbentur, quæ diligenti præmiſſo examine ad Baptiſmum rite conferendum idoneæ reperientur: Sua eis, quæ a Vic. For. in Diœceſi, & a Parocho in Urbe probatæ non fuerint, miniſteria ne permittantur.

CAPUT XXVI.

De Notariis Eccleſiaſticis.

1756.

QUod a Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 10. ſancitum eſt de Notariorum peritia ab Epiſcopo ſtudioſe perquirenda prorſus expediens eſt in morem revocari hoc tempore, quo nimis facilis patet aditus ad Notariatus officium aſſequendum. Ne igitur ex eorum imperitia detrimenta, & litis occaſiones oriantur, innovantes, & confirmantes decretum quinquageſimum octa-

vum Syn. XXXVI. mandamus, ut Notarii quicumque etiamſi Apoſtolica auctoritate creati in cauſis Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus non audeant Notariatus officium exercere, niſi intra bimeſtre a die evulgati hujus Decreti, prævio etiam examine, ſi ita expedire cenſuerimus, a Nobis ſint admiſſi, quatenus jam alias non ſint approbati. Quod ſi quis tranſacto bimeſtri ſine Noſtra approbatione Inſtrumenta, aliaſque ſcripturas publicas, & privatas explere præſumpſerit, præterquamquod a Nobis graviter punietur, exercitio etiam notariatus eum perpetuo proibitum eſſe volumus.

Notariorum Apoſtolicorum vel in Civitate, vel in Diœceſi decedentium ne Acta pereant, aut ullo modo diſperdantur, volumus, ac diſtricte mandamus, ut adamuſſim executioni demandentur, quæ literaliter decreta ſunt in Synodo XXXIV. Cap. VI. ſub his præciſis verbis = *Ne Inſtrumenta, & aliæ quævis ſcripturæ a Notariis Apoſtolicis confectæ*

eve-

eveniente eorum morte, magno tam Eccleſiarum, & Locorum Piorum, quam aliarum quarumcumque perſonarum detrimento pereant, mandamus Præfectis in Civitate, & Vicariis Foraneis in Diœceſi, ut audito alicujus Notarii obitu ad illius habitationem accurrant, & Scripturarum omnium Inventarium diligenter conficiendum curent, & quas ſcripturas authenticas agnoverint, eas apud ſe fideliter aſſervent, donec aliquis Notarius Apoſtolicus Defuncti conſanguineus, idoneus tamen, & ab Hæredibus eligendus reperiatur, cui cum requiſita facultate eas explendi committi poſſint. Ubi vero nullus hujuſmodi Notarius aptus exiſtat, eas volumus ad Archivium Noſtrum Archiepiſcopale, ſine præjudicio tamen jurium ipſorum Hæredum transferri = Ut vero publico commodo, ac incolumitati hac in re magis conſultum fiat, mandamus, ut ad Collegium noſtrum Notariorum tranſmittantur nomina, & cognomina eorum Notariorum, ad quorum manus Defuncti acta pervenerunt, & pervenient. JO-

JOSEPH

Miſeratione Divina Tit. S. Mariæ in Via
S. R. E. Presbyt. Cardinalis
PUTEOBONELLUS,
S. Mediol. Eccleſiæ Archiep.

LA Santità di N. S. BENEDETTO XIV. ſempre intenta a promovere ne' Fedeli gli Eſercizj della Pietà, e principalmente quelli, che ſono più valevoli a guidare le Anime per le vie ſante del Signore, e condurle per mezzi efficaci alla ſalute; rifiettendo quanto utili, anzi neceſſarj ſieno al conſeguimento del noſtro beato fine gli Atti delle Virtù Teologali, ha penſato ad eccitarne in tutti i Fedeli l' uſo frequente, colla conceſſione di varie Indulgenze del tenor ſeguente.

* * *
* *

IN-

INDULGENTIÆ

Conceſſæ pie, devote, & ex corde recitantibus Actus Virtutum Teolog. Fidei, Spei, & Charitatis.

ANimadvertens Sanctiſſimus D. N. BENEDICTUS Papa XIV., quam utiles, quin immo neceſſarii ſint ad æternam ſalutem Theologicarum Virtutum Actus, Fidei videlicet, Spei, & Charitatis, ut omnes utriuſque ſexus Chriſtifideles ad illorum exercitium excitaret, audito voto Sacræ Congregationis Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ, Indulgentias pro iiſdem Actibus a ſan. mem. BENEDICTO XIII. die 15. Januarii Anni 1728. conceſſas benigne confirmavit, Plenariam nimirum cum facultate eam Fidelium Defunctorum Animabus applicandi, ſemel in menſe lucrandam ab iis, qui quotidie per menſem præ-

fatos

fatos Actus pie, devote, & ex corde peregerint, die nempe ab unoquoque eligenda, in qua vere pœnitentes, Confeſſi, ac Sacra Communione refecti, pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, ut decet, oraverint; nec non aliam ſimiliter Plenariam in mortis articulo. Ut autem commiſſas ſibi Oves ad frequentiorem hujuſmodi Actuum uſum alliceret Sanctitas Sua, Indulgentiam ſeptem annorum, totidemque quadragenarum, cum eadem applicationis facultate, quæ juxta ejuſdem ſui Prædeceſſoris conceſſionem, ſemel tantum in die conſequi poterat, ad quamlibet antedictorum Actuum piam &c. ut ſupra recitationem, clementer extendit.

Declaravit inſuper Sanctitas Sua præfatas omnes Indulgentias addictas minime eſſe certis, determinatiſque

ver-

verbis, propterreaque unumquemque uti poſſe in recitatione dictorum Actuum qualibet formula, dummodo in ea ſingularum Virtutum Theologicarum ſpecialia motiva exprimantur. Datum die XXVIII. Januarii Anno MDCCLVI.

Fr. I. Card. Portocarrero Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

A. E. Vicecomes
Sac. Congreg. Indulg. Secret.

Noi

N*Oi però con intimo ſentimento del cuore, godiamo, che alle noſtre premure, colle quali abbiamo inceſſantemente raccomandato, e promoſſo in tutta queſta Dioceſi l'eſercizio de' medeſimi Atti, ſi aggiunga ora dalla ſuprema Autorità del Noſtro Santo Padre un nuovo ſtimolo anche col prezioſo dono de' Celeſti Teſori, che a tutti diſpenſa; E però con tutto lo ſpirito del Paſtore Univerſale, e noſtro eſortiamo tutti, e ciaſcuno di queſto dilettiſſimo Gregge alla frequenza importantiſſima, ed utiliſſima degli Atti delle Trè Virtù Teologali, Fede, Speranza, e Carità recitandoli, e ripetendoli, come c' inſinua il Vicario di Criſto*, pie, devote, & ex corde, *con accompagnamento di pietà, divozione, ed affetto. E perchè ciò pervenga più facilmente a notizia di tutti ordiniamo, che nella proſſima Domenica ſi notifichi a tutto il Popolo* inter Miſſarum Solemnia *da' RR. Parrochi, e dagli Aſſiſtenti*

ti alle Scuole della Dottrina Criſtiana, nuovamente inculcandone la pratica, giuſta la Formola da Noi con ſeria ponderazione, e conſiglio già propoſtaſi alle dette Scuole, qual compleſſiva de' motivi ſpeciali di queſte eccellenti Virtù.

Dall' Arciveſcovado 8. Marzo 1756.

J. CARD. ARCHIEP.

C. Bazetta Can. Ord.
Cancell. Archiep.

IN-

INDEX.

Caput I. De Eccleſiis, & ſacra Supellectile pag. 7
Cap. II. De Cæmeteriis p. 10
Cap. III. De Feſtis p. 11
Cap. IV. De cultu ſacrarum Reliquiarum p. 13
Cap. V. De Beneficiis p. 14
Cap. VI. De Titulis Sacerdotalibus p. 27
Cap. VII. De Legatis p. 32
Cap. VIII. De Rebus incertis p. 35
Cap. IX. De vita, & honeſtate Clericorum p. 38
Cap. X. De turpi quæſtu vitando p. 62
Cap. XI. De negotiatione Clericis interdicta p. 65
Cap. XII. De Eccleſiaſticis Conventibus p. 68
Cap. XIII. De ordine ſedendi, vel incedendi p. 75
Cap. XIV. De Capitulis p. 78
Cap. XV. De Parochis p. 79
Cap. XVI. De Doctrina Chriſtiana p. 99
Cap. XVII. De Codicibus Parochialibus p. 108
Cap. XVIII. De Refectionibus p. 120
Cap. XIX. De Matrimoniis p. 127
Cap. XX. De Funeribus p. 129
Cap. XXI. De Miſſis p. 130
Cap. XXII De Functionibus Eccleſiaſticis p. 136
Cap XXIII De exteris Sacerdotibus p. 142
Cap. XXIV. De Exorciſtis p. 147
Cap. XXV. De Obſtetricibus p. 149
Cap. XXVI. De Notariis Eccleſiaſticis p. 151
Indulgentiæ Actuum Virtutum Theolog. p. 155

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 102153936